

Hanc monſtrat faciem KANNEGIESSERVS amicam;
Sic priſca in tenui cernitur aere fides.
Ex oculis gravitas, virtus de fronte relucet;
Aſt, animi dotes pingere nemo valet.
Hanc amicitiae teſſeram poſuit
C.E.WITTEKIND, S.D.H. Conſil: Juſt:

K.6.1
99

GOTTLIEB HENRICI KANNEGIESSERI, D.

IN REGIA CHRISTIAN. ALBERTINA SENIORIS,
DINIS SVI PROFESSORIS PRIMARII, CONSILIARII IVSTI-
TIAE, NEC NON IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE
CVRIOSOR. ADIVNCTI,

INSTITVTIONES
MEDICINAE LEGALIS

IN VSVM
AVDITORVM CONCINNATAE,

CVM
PRAEFATIONE
EXCELLENTISSIMI
ANDREAE ELIAE BVCHNERI
DINIS MEDICOR. IN REGIA FRIDERICIANA SENIORIS,
ET IMPERIAL. ACADEM. NATVRAE CVRIOSOR.
QVONDAM PRAESIDIS
LONGE MERITISSIMI.

EDITIO ALTERA, AVCTA ET EMENDATA.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON



KILIAE HOLSATORVM,
IMPENSIS AVCTORIS,
LITERIS MICH. FRIED. BARTSCHII, MDCCLXXVII.

LECTORI

S.

ANDREAS ELIAS BVCHNER.

Paucis tantum *Te* volo, *benevole Lector*, cum Prologi potius munere fungar, quam Encomiaſtae, qui, ad ornandum ſuum argumentum, flores orationis vndique

conquirere ſolet. Quamvis enim e re ſua fore crediderit *illuſtris Auctor*, ſi elegantiſſimus libellus, quem de Medicina, vt vocant, legali conſignavit, non ſine mea qualicunque commendatione prodiret, atque ego Viro, quem amo & ob inſignia merita magnifacio, in vllo officiorum genere non facile deeſſe velim: tamen, cum ipſemet ſentiam, quam parum illa, in tanta Viri eximii laude & doctrina, opus ſit, ſatius munerique benevole mihi demandato convenientius eſſe duxi, ſi pauca *de ortu, natura, dignitate et vſu Medicinae forenſis* praefarer, iudicium de praeſtantia huius Opuſculi, quod cum orbe erudito communicamus, aequis rerum arbitris relinquens.

Genus

Genus quidem humanum, cum coeperit a virtutis tramite deflectere, miris ſemper turbis agitatum eſt. Ex eo enim tempore aſtutiae, doli, culpae & fuci nomina audita, rixae bellaque exorta, & vitia adeo immania commiſſa ſunt, vt illa ipſi, quod mireris, flagitioſae humanitati non raro deterrenda apparuerint. Neque corpori humano minora acciderunt mala. Morbi enim innumeri, regna, populos, familias variis modis turbantes, caput ſuum extulerunt; quorum quidem nonnulli, poſtea evanidi redditi, oculis noſtris ſe ſe ſubduxerunt, vt tamen alii, malitia non inferiores, illorum nunc locum occupent, ortasque lacunas expleant. Res demum dome-

ſticae, vt nil ſuperſit homini, cui ſatis eſſet cautum, latrociniis, furtis aliisque modis ſunt attritae & multiplicia detrimenta paſſae.

Tot certe malis, quibuscum colluctandum eſt, diu iam conſumti eſſent homines, ni eorum ſaluti Viri honeſti & ſapientes, Legislatores, Magiſtratus, Iudices & Medici proſpicerent. Enimvero licet eorum auxilio nec hominum, nec morborum malitia plane eradicari queat, tamen ne erumpat illa, ne nimium increſcat, cavetur. Neceſſitate ergo coacti homines, regulas & ſcientias condiderunt, quibus ſatisfacere, quasque intelligere oportet eos, qui cupiunt ſe ſe ſaluti publicae devovere.

Atque hinc quoque Medicina, quae dicitur, forenſis, ſuam duxit originem. Obſervarunt enim Medici, varios nonnunquam caſus & in vita media, & in regenda republica occurrere, qui, vt dirimantur, ad forum quidem aut eccleſiaſticum, aut civile & criminale propius ſpectant, quorum tamen ea ſimul ſit ratio, vt non, niſi adhibita medica cognitione, iuſta queant ratione diiudicari. His rudius primo, dein, vt fieri ſolet, accuratius collectis, poſt Conſtitutionem demum Carolinam *) ita ſunt vſi, vt exinde regulas praeceptaque formaverint, ea in artem & ſcientiam redegerint, eamque, ob finem praefixum,

*) BOERNERI *Inſtitution. Medicin. legal.* p. 13. §. XII.

Medicinam legalem ſeu *forenſem*, & *Iurisprudentiam medicam* ſalutaverint. Quare cum *Renunciatio* Medicis generatim audiat Iudicium medicum, ad informandos Iudices vtile: *Medicina legalis* erit ſcientia de renunciatione medica legitime inſtruenda *).

Huius ergo ortus in recentiora demum tempora cadit. Licet enim fatendum ſit, antiquiſſimis iam temporibus nonnulla argumenta agitata eſſe, quae nunc ad Medicinam forenſem referun-

*) De Scriptoribus Medicinae legalis confer. GOELICKE *Introduct. in Hiſtor. litterar. Scriptor. qui Medicin. forenſem Commentariis ſuis illuſtrarunt.* Francof. ad Viadr. 1723. & BOERNER l. c. in Appendice. Addi his debent LVDWIGII *Inſtitut. Medicin. forenſ.* Lipſ. 1765. & b. m. FASELII *Elementa Medicin. forenſ.* Ien. 1767.

ferunt ur: hinc tamen, exſtitiſſe iis iam temporibus Medicinam hanc in foro vtilem, colligi nequit, cum vagae iſtae caſuum quorundam deciſiones indignae plane ſint, quae ſcientiae nomen mereantur. Neque etiam, quod plurimis placuit, pro ſingulari & propria Medicinae parte venditari poteſt, quamvis ob dignitatem ſuam, fateor id, ſeparatim tractari debeat. Non nova enim Medicinae fundamenta condit, ſed theoriam tantum praxinque medicam ad caſus forenſes refert & applicat. Vt caſuiſtica ergo, quae dicitur, Medicina non, niſi improprie, poteſt ſingularis ſcientiae medicae pars vocari: ſic idem plane iudicium de Medicina legali ferendum.

De ſama & vita humana in Medicina legali luditur. Quare neceſſe eſt, vt veritatibus in ea tractandis omne, quod poteſt, certitudinis pondus adiiciatur. Non ſolum itaque omnes, proprie ita dictas, Medicinae partes cognitas eſſe ponit, ſed poſtulat etiam, vt Anatomia, Phyſica, Materia medica, Chemia, Pharmacologia & Philoſophia recte intelligantur. Neque inutile erit, ſi traditurus huius ſcientiae elementa quasdam Iurium particulas calleat, vt caveat nempe, ne grave quoddam momentum, quod exponi debebat, damnanda negligentia omittat.

Medicina legalis, ne ordine careat, quem Medici poſſint in ea proponenda

ſequi,

ſequi, in varias partes diviſa eſt, vt tamen, quod plerumque fieri ſolet, non omnibus vna eademque veritatum ſeries placuerit. Aptiſſima illius diviſio mihi videtur eſſe ea, quae in *generalem* partem & *ſpecialem* abit. *Prior*, praemiſſis Renunciationum ſpeciebus, omnia illa praecepta tradit, quae Medico, aut alii perſonae renuncianti, generatim ſcitu ſunt neceſſaria: *poſterior* generalia haec ad forum civile, criminale & eccleſiaſticum ſpeciatim refert. De hac plura non dicam *); de illa vero pauca

*) Vid. HEBENSTREIT *Anthropolog. forenſ.* LVDWIG l. c. & alii, quibus haec diviſio placuit.

adiiciam, in Vulnerum renunciationibus vtilia.

Renunciatio medica, cum ideo tantum requiratur, vt Magiſtratus & Iudices rite de rebus ad Medicinam ſpectantibus inſtruantur, ſequitur, vt renuncians tanquam teſtis conſiderari poſſit, hoc illudve verum eſſe adfirmans. Quare pars Medicinae forenſis generalis ea potiſſimum praecepta continebit, quibus opus eſt, vt cognoſcatur, *Deponentem*, quem vocant, ſive nunc Medicus fuerit, ſive alia perſona, teſtem eſſe veriratis idoneum. Atqui huic duo inſunt. Enim vero & *poteſt*, & *vult* id dicere,

quod

quod veritati reſpondet eique conſentaneum eſt. Differens ea propter de renunciatione medica generatim, hunc in tractando filum ſequi poteſt, vt, iis momentis expoſitis, quibus *poſſe* renunciantem vera dicere, illa etiam explicentur, quae *velle* eum cognita vera enunciare docent. Ad *priora* ſpectant haec: Ingenium & perſpicacia; ſenſuum integritas eorumque vſus, quantum ſemper neceſſarius; doctrina & eruditio; experientia; attentio & patientia; facundia demum & facultas, ſenſa animi cum aliis per ſigna aptiſſima atque intellectu facilia communicandi.

Poſte-

Poſteriora in his fere conſiſtunt: Renuncians ſit iuratus, a partium ſtudio alienus, probus, candidus, hominum aeque ac iuſtitiae amans. Omnes praeterea, quae circumſtant res, ad iudicandum neceſſarias, dilucide exponat atque ita renunciet, vt appareat ſe teſtes non fugere *). Haec aliaque, quae inde profluunt, quando de vulneribus renunciandum eſt, praecipue notari debent. Sed ſpeciales has regulas tradiderunt alii, vt, quid illis addi poſſet, non videam **).

Supereſt vt de *vſu Medicinae legalis* loquar, quo pateat ſaltim, nobiliſſimam ſcientiam non mereri, quae tanto

*) ALBERTI Commentar. in Conſtitut. crimin. Carol. Artic. I. p. 7. ſqq.

**) FASELIVS l. c. Part. I. Sect. II. Cap. I. pag. 41. ſq.

tanto contemtu, quanto plerumque fieri ſolet, adficiatur.

Atque primo quidem Iureconſulti, medicis ſcientiis non imbuti, tanta, quanta Medici, certitudine legalis Medicinae praecepta cognoſcere nec poſſunt, nec debent *): vt tamen ad ſubeundem Iudicis munus eo melius praeparentur, quaeſtiones medico-legales controverſas intelligant, ſententias, quas de dubiis rebus Medici ferunt, ſibi familiares reddant, ſicque caueant, ne aut delinquant, aut decipiantur, hincque eo imprimis reſpicere illos oportet, vt, quae exponit Medicina legalis, hiſtorica ſaltim cognitione adipiſcantur.

Quod

*) LVDWIG l. c. Praefat. pag. IV. & §. 10.

Quod vero dein Medicos attinet, his Medicina forenſis ſummopere eſt neceſſaria. Quamvis enim theoreticis & practicis Medicinae partibus innitatur, atque ideo videri queat, ac ſi Caſus, in ea ſcientia occurrentes, a Medico facile enodari poſſint, qui, medicis fundamentis rite poſitis, ad eos ſolvendos accedit: cum tamen, vt eſt temporum natura, theoria medica, in illa ſcientia maxime vtilis, fere negligatur, plurimis de colligendo nitideque conſcribendo formularum medicarum faſciculo tantum ſollicitis; multi praeterea, hiſtorica Medicinae cognitione contenti, rationalem & philoſophicam ſusque deque habeant; nonnulla etiam Medicinae legali inſint, quae ſoli conſuetudine,

tudine, a Iureconſultis aliisque inductae, debentur; plures poſtea caſus hic deprehendantut, qui vt recte dirimantur, ratiocinia poſtulant, quorum praemiſſae paullo magis latent, vt difficilius e fundamentis medicis deriventur; demum, quod fere praecipuum eſt, de corio hic humano ludatur, digno certe, quod caute tractetur: ſatis exinde, credo, patet, non vtilem tantum, ſed & adeo neceſſariam eſſe Medico hanc ſcientiam, vt, quae diſcatur ab eo, omnino mereatur. Atque dici etiam vix poteſt, quantum quamque frequenter Medici, qui Medicinam legalem in Academiis neglexerunt, Phiſici poſtea facti, aliis deridendos ſe exponant! Edoctus ſane loquor!

Finem

Finem denique huic Praefamini impono, ſi monuero prius, me, in explicandis Medicinae legalis elementis, filum harum Inſtitutionum ſecuturum. Dictionis elegantia, decor & brevitas; ordinis concinnitas, rerum delectus; Auctorum, qui de rebus arduis conferri poſſunt, recenſio, eo me adduxerunt.

Nunc *Te* abſolvo, *Lector*. Vale! Dab. in regia Fridericiana, d. XII. Ianuar. MDCCLVIII.

INSTI-

Q. D. B. V.

INSTITVTIONVM MEDICINAE LEGALIS.

CAPVT I.
DE AETATIBVS.

§. I.
Vita quid ſit?

Vita hominis in conſociatione mentis cum corpore conſiſtit. a)

a) THOMASII Not ad LANCELOTVM l. 4. §. 7. p. 2101. REIES Camp. Elys. qu. 31. p. 360. GARMANNVS, Mir. mort. l. 2. tit. 7. §. 125. CASMANN Pſychol. P. 1. c. 2. qu. 4. p. 39. A. E. L. Suppl. IV. p. 26. 27.

CONSECTARIVM.

Ergo homo mortuus, non niſi per *μετονυμίαν*, hominis inſigniri poteſt nomine.

§. II.

Foetus animatio.

Mentis cum corpore conſociatio (§. I.), intra vterum, primo conceptionis momento contingit. b)

b) ALBERTI I. M P. I. c. 6. p 115, 117. c. 9. p. 177, 192. 137. A E. L. anno 1712. menſ. Aug. p. 349. A. N. C. Cent. I. Obſ. 130.

SCHOLION.

De modo & ratione huius conſociationis philoſophi valde inter ſe diſcrepant, atque opiniones fouent plane diverſas; plerique tamen eo conveniunt, quod vel animae iam iam creatae, ipſo cohabitationis & conceptionis momento, a ſummo rerum conditore corpori infundantur, vel per novam creationem a parentibus ad liberos traducantur.

§. III.

Vitae praeſentia ex actionibus cognoſcitur.

Vtriusque mentis atque corporis commercium proximum (§. I. II.), ex operationibus, ad quas, ſiue ſola mens, ſiue ſolum corpus, ſiue vtrumque concurrit ſimul, cognoſcimus. c)

c) DIGBY de immortalit. animae. BECCHERI Ph. ſubt. L. I. S. 4. c. 4. p 210. A. E L. ann. 1717. menſ. Febr. p. 67. ann. 1719. menſ. Mart. p. 122.

§. IV.

Harum operationum diuiſio.

Pro diverſo hoc agentis concurſu (§. III.), actiones, in *animales*, quae unice ad animae nutum inſtituuntur, hinc etiam *voluntariae* ſalutantur, *vitales*, a mechanica partium diſpoſitione

one pendentes, & propterea *avtomaticae, mechanicae* & *involuntariae* dicuntur, & *mixtas*, quae utriusque agentis adminiculo perficiuntur, hinc inde accelerari quidem & retardari, nequaquam vero penitus intermitti poſſunt, diſtinguimus. d)

d) A. E. L. ao. 1701. menſ. Mart. p. 152. 153.

§. V.

Differentia inter hominem vivum et mortuum.

Quamdiu hae actiones (§. IV.) cohaerenter continuant, hominem *viuere* pronunciamus; iisdem vero ceſſantibus, *corpore ſolutum*, ſeu *exanimatum*, illum dicimus. e)

e) A. E. L. ao. 1711. menſ. Nov. p. 489. anno 1726. menſ. Dec. p. 537.

§. VI.

Differentia inter ſanum et morboſum.

Sanitas eſt potentia exercendi *actiones naturales* (§. IV); hinc ab harum operationum integritate & laeſione, vita pendet, vel *ſana*, vel *morboſa*. f)

f) WERLOSCHN. p. 223. 225. BLEGNY, Zod Gallic. anno 1683. p. 340. A. E. L. anno 1728. menſ. Febr. p. 53. 58. anno 1691. menſ. Mart. p. 122.

§. VII.

Aetatis definitio.

Operationum homini competentium (§. IV) diuturnitas, id eſt, earundem a primo conceptionis momento (§. II.), ad vtriusque, men-

tis & corporis, diſſolutionem (§. V.) perſeuerantia, *aetas* nominatur. g)

g) CAMERAR. Mem. Cent. 10. part. II. CASMAN. Pſychol. Part. I. cap. 3 qu. 4. p. 75. 78. BRAVO P. I. diſp. 4. ſect. 1. reſol. 1. p. 110.

§. VIII.

Vitae diſtinctio.

Duplicem vero homo degit vitam, aliam nimirum *intra vterum maternum*, atque aliam *extra eundem*.

SCHOLION.

Dubium quondam movebatur, *naſciturus* num inter homines ſit referendus? L. 9. §. 1. D. ad L. Falcid. L. 1. §. 2. *de ventr. inſpic.* novo vero iure, ad *natorum* etiam iura, certa reſtrictione admittitur. Interim tamen *naſciturorum* iura, donec naſcantur, manent ſuſpenſa.

§. IX.

Duplex hominis aetas conſtituitur.

Ergo etiam ſecundum iſtam vitae diſtinctionem (§. VIII.), generatim duplex hominis aetas, *vna*, a conceptionis, ſeu inanimationis momento (§. II.), ad foetus excluſionem; *altera*, a naſcendi hocce tempore, ad mortem, ſiue mutuam mentis atque corporis ab inuicem ſeparationem vsque (§. V—VII. protracta, decernitur. h)

h) CAMERAR. Cent. 16. part. I. A. E. L. ann. 1714. menſ. Maj. p. 206.

§. X.

Anima et corpus mutuam habent dependentiam.

Anima corpus actuat, & ad certum ſuum eſſe determinat; & quamuis corpus mere ſeſe

habeat

habeat paſſiue, anima tamen corporis affecti-ones recipit, percipit, easdemque diſcernit. i)

i) ZACVTVS LVSIT. M. P. H. Lib. I. hiſt. 15. p. 28. A. E. L. anno 1717. menſ. Apr. p. 188.

§. XI.

Diuerſae dantur vitae periodi.

Propter mutuam & reciprocam hancce animi atque corporis dependentiam (§. X.), vtriusque etiam vires, varias ſubeunt viciſſitudines; atque pro vario harum mutationum, decurſu & ambitu, diuerſae quoque *aetates*, (§. VII.) ſeu vitae *periodi* conſurgunt.

§. XII.

Mentis atque corporis mutatio, quaenam intra uterum contingat?

Mutationes quas anima intra vterum ſuſtineat maternum (§. XI.)? haud ita luce conſtat palam. Corporis vero mutatio, cum notabili augmento, ſecundum *trinam dimenſionem* contingit.

§. XIII.

Aetas quomodo determinari debeat?

Aetas ergo hominis, intra vterum viventis (§. VIII.), non ex mentis viribus, ſed potius ſecundum corporis mutationem (§. XII.), eſt decernenda; hominis vero, extra vterum auras vitales ducentis (§. VIII.), aetas, ſecundum vtriusque, virium mentis, atque corporis alterationem (§. XI. XII.), determinanda.

§. XIV.

Foetus et partus quomodo differant?

Homo vitam degens intra vterum maternum (§. VIII.), *foetus* nuncupatur. Exercitium vero illud potentiae vitalis, quo ſoetus aruum naturae, matre adiuuante, egreditur, *partus* dicitur; licet hocce vocabulum interdum de ipſo foetu ſoleat uſurpari. Foetus autem, a conceptionis momento, ad eius excluſionem vsque, intra vterum perſeuerantia (§. IX.) *geſtationis*, vel *pariendi temporis* nomine *inſigniri* ſolet.

§. XV.

Partus tempus accelerari et retardari poteſt.

Pariendi tempus (§. XIV.) licet plerumque in homine poſt diem CCLXXX. abſolutum & ad finem perductum ſit [k]; innumeris tamen modis, partim ex cauſſa *parentum* [l]), partim ex cauſſa ipſius *foetus*, partim ex cauſſa *utriusque* ſimul, accelerari vel retardari poteſt.

k) ARISTOTELES l. 1. de animal. c. 6. ZACCHIAS l. 1. tit. II. qu. 2. AVGENIVS, de partu hominis lib. I.

l) HIERON. MANTVVS, Anaſceve morborum, tom. 4. c. 41.

SCHOLION.

Genitores, ſaepius diuerſa, imo plane contraria habent temperamenta, neque etiam vna eademque ſemper corporis incolumitate vtuntur. Pro hac igitur temperamentorum atque ſanitatis diſcrepantia, vita concepti foetus euadit vel ſana, vel morboſa. Conſequenter foetus, maturitatem debitamque ſui corpo-

corporis extenſionem citius adipiſcitur, cuius partes ſingulae naturaliter ſunt conſtitutae; tardius vero excluditur, aliqua harum partium praeternaturaliter diſpoſita. Interim tamen & foetus, propter matris corpus male conformatum, citius, & antequam ad perfectionem & extenſionem debitam peruenerit, aruum naturae ſaepius cogitur derelinquere.

§. XVI.

Partui nullum certum tempus tribuitur.

Qua propter illud geſtationis vel pariendi tempus (§. XV.) a Medicis, quorum iudicia de hocce vitae termino haud raro deſiderantur, *vagum* & *indeterminatum* aeſtimatur. m)

m) ALBERTI I. M. P. I. p. 140. §. 1. 2. p. 141. p. I. p. 160. §. 22.

§. XVII.

Tempus inanimationis.

Pariendi tempori (§. XIV.), momentum illud, quo mentis cum corpore contingit conſociatio, (§. II.), obiicitur, atque *inanimationis tempus* dicitur.

§. XVIII.

Varia foetus denominatio vnde orta?

Pro mutationum diſparitate (§. XV.), quas foetus, a conceptionis, ſeu inanimationis tempore (§. XVII.), ad partus vsque tempus (§. XIV.) ſubire debet, ipſi etiam foetui varium, *animati* nimirum & *non animati*, *vitalis* & *non vitalis*, *maturi* & *immaturi*, *perfecti* & *imperfecti*, *legitimi* & *non legitimi*, imponitur nomen.

§. XIX.

Foetus animatus et non animatus.

Foetus in *animatum* & *non animatum* diſtinctio (§. XVIII.), in foro quidem iuridico vſitata & recepta eſt; quatenus vero nudis innititur erroribus, falſisque hypotheſibus eſt ſuperſtructa, eatenus a Medicis, ſanioris philoſophiae principiis imbutis, merito reiicitur.

SCHOLION.

Foetum, primis tribus menſibus, ſenſationis atque motus veſtigia plane nulla exhibere, per experientiam conſtat; propterea tenellum foetum, hac aetatis periodo, vitam non niſi naturalem degere, atque tunc demum temporis, quo eius motus in vtero percipitur materno, animam cum corpore conſociari, Veteres ſibi imaginabantur. Ex qua erronea hypotheſi, iſta foetus, in *animatum* & *non animatum* (§. XIX.), diſtinctio eſt enata.

A. E. L. ann. 1709. menſ. Oct. p. 420. ann. 1723. menſ. Sept. p. 407.

§. XX.

Quid foetus ſit vitalis?

Foetus nuncupatur *vitalis* (§. XVIII.), qui intra diem CCX & CCXL, non viuus ſolum excluditur, ſed etiam propter organorum perfectionem ἐνεργητικὴν, *operantem*, viuere & in vita poteſt conſeruari. n)

n) FONSECA, lumin. fol. 540. lum. 2. PERAMATVS, de procreat. hom. c. 8. TORREBLANCA, epitom. delict. l. 2. c. 42.

§. XXI.

§. XXI.

Foetus non vitalis.

Non vitalis dicitur foetus (§. XVIII.), qui ante diem CCX. viuus quidem in lucem eſt editus, propter iſtam vero perfectionem ἐνεργητικὴν (§. XX.), in plerisque partibus deficientem, in vita non poteſt perſiſtere; ex qua etiam cauſſa, in ſenſu phyſico, pro *abortiuo* & *immaturo* habetur (§. XVIII.)

§. XXII.

Error Hippocratis.

Foetum poſt diem CCX. moliri exitum, atque hoc tempore intra vterum ſine viribus iacere aegrum, effinxit HIPPOCRATES o); propterea foetum ſeptimeſtrem *vitalem*, octimeſtrem vero *non vitalem* pronunciauit. Quatenus vero hocce molimen, foetusque aegrotatio, cum rationis atque experientiae principiis parum congruit; ideo ſponte etiam ruit figmentum illud HIPPOCRATICVM.

o) Libr. de partu ſeptimeſtr. conſ. de hac materia BONAVENTVRA de partu ſeptimeſtri, lib. 9. 10. SENNERTVS in Inſtit. med. l. 1. c. 20. VALENTINI Pand. med. leg. 1. ſect. 1. c. 33.

§. XXIII.

Foetus imperfectus.

Vitalis foetus, vitae quidem aſpicit lumen, atque annorum etiam ſeriem poteſt tranſigere (§. XX.); quoniam vero conſuetum & ordinarium partus terminum (§. XV.) non attigit;

propterea etiam *praecox, praematurus* & *imperfectus* (§. XVIII.) dicitur. p)

p) REIES, qu. 90. p. 1165. n. 8.

§. XXIV.

Foetus maturus et perfectus quid ſit?

Ergo in oppoſitione, *maturus* & *perfectus* (§. XXIII.) vocatur, qui non ſolum tempore plerumque ſolito, & a natura deſignato, die nimirum CCLXXX (§. XV.), ſed viribus etiam firmis, atque corpore ſano, valido, integro & decenter proportionato, in lucem emittitur. q)

q) ALBERTI I. M. *part. I. p. 146.*

§. XXV.

Foetus legitimus in ſenſu iuridico.

Foetus legitimus, quum vtriusque *legitimi* & illegitimi iura ſint plane diuerſa, ſenſu iuridico dicitur, qui ex iuſto matrimonio eſt genitus. Probatis enim iuſtis nuptiis, quoad patrem quoque probata eſt filiatio. r)

r) *l. 5. de in ius. voc. l. 6. de h. q. ſ v. alieni iur. ſunt.*

§. XXVI.

Foetus legitimus in ſenſu phyſico.

Vbi vero vel ratione haereditatis & ſucceſſionis, vel quando inter patrem & matrem, de foetus aetate lis mouetur; tunc phyſice *legitimus* vocandus, qui tempore, naturali partus termino (§. XV.) non repugnante, viuus genetricis aluum reliquit. s)

s) ALBERTI I. M. P. I. c. 7. p. 139. 142. 375.

§. XXVII.

§. XXVII.

Naturali partus termino contrariatur vel praecox, vel ſerotinus.

Pariendi tempus, vel ex cauſſa *parentum*, vel ex ipſius *foetus*, vel *vtriusque* culpa ſimul, ſaepe ſaepius accelerari poſſe & retardari, per antecedentia iam fuit demonſtratum (XV.). Ergo naturali pariendi termino (§. XV.), vtraque, vel *praecox* & *repentina*, vel nimis diutius *protracta* foetus excluſio, aduerſatur.

§. XXVIII.

Fauor in Iudice pro foetu militat.

Quemadmodum vero penes Iudicem, fauor pro foetu ſemper militat; idcirco in vtroque caſu (§. XXVII.) extremus terminus aetatem foetus legitimi decernit, atque *praeſumtio iuris & de iure*, ſiue argumentum maxime probabile, ex circumſtantiis cauſſae inter ſe connexis deſumtum, donec pro illo valet, quamdiu vtriusque termini, vel nimis *praecocis*, vel diutius *procraſtinati*, exempla proſtant manifeſta, & per ſuas cauſas ſatis comprobata.

SCHOLION.

Praecocis & ſerotini partus (§. XXVII.) exempla, pasſim apud autores ſunt reperiunda. Sic REIES qu. 98. p. 1164. n. 6. & PETRVS de PERAMATO lib. de procr. hom. c. 8. foetum dierum CXXIV, vitalem obſeruauit. Quinquemeſtris foetus vitalitatem confirmant, REIES, qu. 90. p. 1163. n. 5. p. 1164. FERD. BONAVENTVRA l. 1. c. 6. FERD. MENA, de

de part. ſeptim. c. 4. AVGENIVS de part. hom. c. 20. l. 1. TORREBLANCA, epitom. delict l. 2. c. 43. SCHENCKIVS l. 4. LEMOSIVS l. 3. VALLERIOLA l. 3. MERCATVS de mul. aff. c. 1. l. 4. GVLDENKLEE reſp. 23. MANTVVS anaſcev. morb. l. 4. c. 41. CARDANVS contrad. l. 8. tract. 3. contrad. 8. FRANCISC. VALLES. de ſacra philoſ. c. 18. Vndecimeſtris, duodecimeſtris & tredecimeſtris, immo & quatuordecimeſtris referunt exempla, ZITTMANNVS Cent I. c. 1. p. 58. A. E. L. anno 1699. menſ. Nov. p. 519. SCHENCKIVS, HEISTERVS, BECCHER Ph. ſubt. l. 1. ſect. 4. c. 4. p. 218. 219. REIES, qu. 90. ALBERTI I. M. P. 1. p. 157. PINETA, l. 1.

§. XXIX.

Differentia inter abortum et ſpurium intercedens.

Quicunque igitur foetus ante primum naſcitur terminum (§. XXVII. XXVIII.), ſi imperfectus, *abortus*, ſi perfectus, *ſpurius* nuncupandus; qui vero poſt vltimum iſtum terminum (§. XXVII. XXVIII.) e matris vtero prodit, perinde pro *ſpurio* & *illegitimo* habendus.

§. XXX.

Foetus aetas non ſecundum dierum numerum determinanda.

Enim vero foetus aetas, non ex ſolo dierum numero (§. XX. XXVIII.), ſed ſecundum perfectionem ἐνεργητικὴν, in tenello eius corpore plus minuſue deficientem (§. XXI.), eſt decernenda.

§. XXXI.

§. XXXI.

Ad decernendam foetus aetatem alia requiruntur ſigna.

Ideo ſi vel in litibus, de ſucceſſione & haereditate, foetus, num *abortiuus* vel *legitimus* ſit, dubium mouetur; praeter dierum numerum (§. XXIX.), plures quoque aliae circumſtantiae probe ſunt perpendendae.

§. XXXII.

Fontes e quibus iſta ſigna deſumenda.

Itaque ſigna, foetum vel *abortiuum* vel *maturum* denotantia, partim a patre, partim a matre, vel ex foetu ipſo deſumuntur.

§. XXXIII.

Vel a patre.

In patre (. XXXII.), corporis conſtitutionem, num ea ſit vel *ſana*, vel *morboſa*, conſideremus. Quemadmodum enim fortes creantur a fortibus, ita etiam generis auctor, infirma & languida gerens membra, morborum ſeminium in liberos non raro ſolet transferre. t)

t) ROLFINC. med. conſult. l. 4. conſil. 10. p. 492. ZYPAEI fund. med. phyſ. reform. p. 352. KORNMANNVS, mir. viv. exempl. p. 213.

§. XXXIV.

Foetus ex ſemine foecundo natus, citius ad perfectionem ſuam peruenit.

Quaecunque igitur progenies ex minus foecundo & energetico ſemine naſcitur (§. XXXIII),

XXXIII.), illa non ita ſubito, & facili negotio, debitam ſuam perfectionem adipiſcitur. [u])

u) SINIBALDVS genanth. l. 5. tr. 1. c. 6 p. 488.

§. XXXV.

Signa a matre deſumta.

Idem omnino illud (§. XXXIV.) de matris diſpoſitione valet praeternaturali. Etenim turbata genetricis oeconomia vitali, quoque in foetu ſuccorum conturbatur diſtributio; prout vero haec vel prohibetur, vel libera ſuccedit, etiam foetus, vel maius, vel minus capit incrementum, & conſequenter citius vel tardius deſerit matricem.

§. XXXVI.

Ex cauſa morborum chronicorum mulieres plerumque abortiunt.

Adeoque mulieres hecticae, aliisque morbis chronicis, imprimis vero vitioſa oſſearum partium conformatione, & inde pendente nimia vteri anguſtia, laborantes, raro *vitales* & *perfectos*, ſed plerumque *abortiuos* excludunt foetus.

§. XXXVII.

A foetus magnitudine ſigna.

Ita etiam ex ipſius foetus vivifico vigore & magnitudine, eius maturitatem facile intelligimus. Interim tamen & haec magnitudo, pro parentum & ipſius embryonis conſtitutione, vel *naturali*, vel *praeternaturali*, admodum variat.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Foetus quomodo ſuum capiat incrementum.

Etenim vtroque generis fonte naturaliter conſtituto, atque foetu intra vterum viuida ac continua incolumitate vtente, tenellum embryonis corpus, primis XXX diebus, piſi adaequat magnitudinem; die LX *nucis auellanae;* die XC, cum notabili partium diſtinctione, ad digiti longitudinem explicatur; a die XC ad CL, remanentibus, in fronte & capitis oſſibus, imperfectionis notis, *ſpithamae* longitudinem attingit; a die CL ad CCXL, haud mediocrem adipiſcitur magnitudinem.

§. XXXIX.

In foetu etiam maturo imperfectionis notae ſunt reperiundae.

Etiamſi hacce temporis intercapedine (§. XXXVIII.), tenerum embryonis corpus ad ſatis amplam extenſionem peruenerit; tamen vngues nondum indurati, labella non admodum eleuata & colorata, pariterque ſuturae coronalis margines, ſiſtunt adhuc ſigna aliqualis imperfectionis.

§. XL.

Quo tempore foetus euadat perfectus?

Die denique CCLXXX, tenelli foetus corpuſculum ad eam maturitatem plerumque ſolet peruenire, qua ad actiones, huic aetati competentes, ſubeundas, aeſtimatur idoneum.

§. XLI.

§. XLI.

Signa perfectionis a foetus eiulatu deſumta

Praeter hanc foetus magnitudinem & conformationem (§. XXXVII.), inprimis etiam ab eius *voce* ac *eiulatu*, maturitatis deſumuntur ſigna. Etenim in foetu nuper admodum nato, etiamſi quaedam imperfectionis veſtigia (§. XXXIX.) adhuc conſpiciantur, ſiue etiam mox poſt eius excluſionem, morti iterum occumbat, modo clamorem effecerit, id quod iure Saxon. x) exprimitur: *Wenn das Kind die vier Wände beſchryen hat*, maturitatis & vitalitatis praeſumtio *de iure* pro illo militat (§. XXVIII.).

x) de feud. art. 20.

§. XLII.

Abortus facti ſigna.

Vbi vero, num matris, vel aliorum culpa abortus fuerit procreatus? Medici iudicium deſideratur, tunc ſecundum vetutiſſima HIPPOCRATIS dogmata y) in matre viua ex mammis, harumque ſubitanea flacciditate & extenuatione, vel ſi ex iisdem lac aquoſum & ſanguinolentum ſponte effluxerit, imminentis vel praeſentis perpeſſae foetus excluſionis, ſignum deſumitur plerumque fallere neſcium.

y) ſect. 5. aphor. 35.

§. XLIII.

A ſanguinis ſtillicidio per genitalia.

Perinde etiam ſtillicidium ſanguinis ichoroſi, per genitalia contingens, tormina & dolores ad pudoris ſinum deorſum vergentes, cum

cum refrigeratione, horrore, tremore, & labiorum pudendi tumore, nec non vteri laxitate atque cruentatione conſociati, ſitus pariter vteri & abdominis ſubitanea mutatio, item continuatus ex vtero egerendi conatus, haud raro abortus ſunt prodromi. z)

z) ALBERTI I. M. P. I. c. 9. p. 177. 192. 131. Part. I. p. 128. §. 6.

§. XLIV.

Abortus facti ſigna in demortuis.

Enim vero, quum pleraque horum ſignorum (§. XLII. XLIII.) etiam aliis affectibus muliebribus ſint communia, & ſeparatim ſumta haud raro conſueſcant fallere; hinc, exiſtente partus vel abortus ſuſpicione, ad plura alia ſigna, praeſertim in demortuis, a partium generationi inſeruientium examine, harumque ſectione deſumenda, confugiamus, operae omnino erit pretium.

§. XLV.

Signa a genitalium inſpectione deſumenda.

Inter ſigna, a genitalium, intus abſconditorum, perluſtratione depromta (§. XLIV.), vteri amplitudo & craſſities plus iuſto maior, huiusque ſubſtantiae interioris, per placentae auulſionem & ſeparationem facta inaequalis ſuperficies & cruentatio, pariterque interni uteri orificii, nec non ipſius vaginae laxitas & amplitudo praeternaturalis, non immerito referri poterit.

§. XLVI.

Abortus cognitio fieri debet intra decentem a partu terminum.

Multo euidentiora euadunt haec omnia (§. XL. XLI—XLV.), ſi vel intra debitum a partu terminum, pro cuius fundamento lochiorum fluxus, huiusque duratio plerumque ponenda, fuerint obſeruata; vel ſi ipſe foetus ſit paululum grandior & ad maturitatem iam appropinquauerit.

§. XLVII.

Abortus cognoſcitur ex foetus magnitudine.

Etenim quo maior eſt foetus, & quo remotior eſt diſtantia conceptionis, ab abortus termino (§. XLVI.), eo etiam diutius abortus veſtigia in matre permanent, faciliusque reteguntur.

§. XLVIII.

Cauſae p. n. externae ſunt perpendendae.

Inſuper etiam cauſae praeternaturales externae, vterum ad contenti excluſionem ſtimulantes, foetuique vires detrahentes, vel violentam placentae vterinae ſeparationem excitantes, quo minus embryo diutius retineri queat, ſunt conſiderandae. a)

a) A. E. L. Suppl. 3. p. 471.

§. XLIX.

Inquirendum, num remedia foetum expellentia ſint exhibita?

Hinc inquirendum erit, num remedia deſiderata vel exhibita ſuerint venenoſa, *ano*-atque

que *cato-cathartica*, *ſternutatoria*, numque alia, vterum vehementiori modo contrahentia & commoventia, in ſubſidium fuerint vocata. [b])

b) Act. Med. Berol. Dec. I. Vol. 2. p. 216.

§. L.

Remedii mixtio, proportio, tempus, et ſubiecti temperamentum conſideranda.

Circa hanc remediorum, abortum excitantium, adhibitionem (§. XLIX.), non ſolum ipſius medicamenti *miſcela* & *qualitas* conſideranda, ſed perueſtigandum etiam, qua *proportione* & *tempore* fuerit oblatum; immo & ſubiecti *temperamentum*, & peculiaris corporis conſtitutio, non penitus eſt praetermittenda; quae enim in hoc vel illo ſubiecto noxam inferendi minus idonea aeſtimantur, in alio ſaepe maxime ſunt nociua [c]), & quae in maiori doſi ſunt deleteria, in minori plane innocuas exerunt vires. [d])

c) AMMANNVS Med. crit. Ephem. Germ. Cent. I. II. obs. XLIV.

d) ZITTMANN Med. forens. Cent. IV. Caſ. XLIII. p. 1545.

§. LI.

Cauſſae etiam externae abortum promouent.

Non ſolum his intus adhibitis, nociua qualitate inſtructis adminiculis (XLIX. L.), ſed modis etiam infinitis aliis, *curſu*, *ſaltu*, *caſu*, *pandiculatione*, *percusſionibus*, *compresſionibus* & *ligaturis* abdominis, infanticidae prolem euertere ſtudium impendunt omne. [e])

e) FRANCKENAV p. 214. 216. 219. ALBERTI I. M. P. I. p. 129. part. I. Caſ. XI. p. 113.

§. LII.

Abortus facti ſigna externa.

Propterea ſi in perſona ſuſpecta, de cauſa eiusmodi iniqua externa (§. LI.), opinio emergit, tum in matris abdomine, tum maxime quoque in tenello foetus corpore, diſtorſiones, tumores, ſugillationes, & quaecunque alia violentiae externae ſigna, attentis oculis ſunt perluſtranda. f)

f) A. E. L. ann. 1723. menſ. Nov. p. 152. 494.

§. LIII.

Foetus non ſemper unicus vivus et naturalis excluditur.

Praeter haec, quod foetus non ſemper *vitalis* (§. XX.), *maturus & perfectus* (XXIV.) emittatur; *ſolus* & *vnicus* numero, atque *viuus*, *matre* etiam *non amplius viuente*, immo interdum *plures* excluduntur, atque iterum *praeternaturalis* & *monſtroſus* ex vtero egreditur.

§. LIV.

Infinitis modis foetus intra vterum enecatur.

Cauſſis ferme innumeris, foetui e naturae ſeminario exitus praecluditur, adeo, vt etiam matris ſectione, ad ſuppetias illi ferendas, non raro ſimus obſtricti.

§. LV.

Tribus praecipue modis illud contingit.

Qualiscunque vero illa cauſſa (§. LIV.) ſit, vel *naturalis*, vel *non naturalis*, & *praeternaturalis*, vteri obſerans oſtium, tribus tamen praecipue modis, vtrisque nimirum, *matre* atque

atque *foetu* adhuc viventibus, vel *matre* exanimata, *foetu* denique ſuperſtite manente, illi ex vtero prohibetur egreſſus.

§. LVI.

Foetus viventis ex matre viua extractio.

Viuentis foetus, ex vtero matris viuae (§. LV.) extractio, ſectionis ope contingens, non conatibus maior eſt, ſed iam priſcis temporibus tentata, ſaepiusque feliciter eſt peracta. g)

g) Vid. SCHENCKIVS Obſ. lib. II. SOLINVS Cap. IV. HORAT. AVGENIVS, Libr. II. epiſt. II. ROVSSETVS, & SLEVOGTIVS de Sect. caeſar.

§. LVII.

Foetus demortui ex matre viuente extractio.

Illa vero foetus demortui promotio, quae in matre vitales auras trahente (§. LV.), caeſura ſic dicta caeſarea ſuſcipitur, propter euentum plerumque funeſtum, & quum tutius fruſtulatim, quamdiu aditus non penitus eſt ademtus, per pudenda extrahatur, a plurimis Medicis deſpicitur, penitusque reiicitur. h)

h) Conf. ROLFINC. diſſert. anat. L. I. c. XIII.

§. LVIII.

Foetus viuentis e matre demortua excluſio promouenda.

Eam contrarie foetus exciſionem, qua matrem extinctam, foetum autem viuentem eſſe (§. LV.), ex indicationibus conſtat indubitatis, haud quaquam praetermittere, ipſae perhibent leges; & mulierem vtero ferentem, morteque peremtam, ſepulchro inferendi, an-

tequam illi foetus excidatur, praeſcripto NVMAE POMPILII regio eſt prohibitum. [i])

i) L. 2. ff. de mort. infer.

§. LIX.

Foetus viuentis, matre defuncta, exciſionem intermittentes, infanticidii crimine notantur.

Hinc inde legum interpretes perſpicaciſſimi, propter dirum & in eluctabile illud fatum, quod foetus ſubire cogitur, ſi, matre demortua, ſuperuiuens non ocyus cito eximitur, foetus exciſionem e matre defuncta omittentes, infanticidii notant crimine, eosdemque poenis, quibus infanticidae affliguntur, eſſe caſtigandos, affabre contendunt. [k])

k) WILDVOGELIVS, de iure embryonis.

§. LX.

Matre defuncta, foetus haud diu in vita perſiſtit.

Propter vinculum & commercium inter matrem & foetum arctiſſimum, matre defuncta, foetus in vita haud diu poteſt perſiſtere; adeoque poſt matris obitum, non longa temporis intercapedine interpoſita, prouide facta uteri inciſione, eximatur, diligentique cuſtodiatur ſollicitudine.

§. LXI.

Plures foetus interdum ſimul excluduntur.

Foetus non ſemper vnicus numero & ſolus excluditur (§. LIII.), ſed interdum gemelli, trimelli, quadrimelli [l]), vel plures, vno eodemque partu [m]), licet horis nonnullis intercedentibus, emittuntur.

l) Qua-

l) Quadrimellos uno partu excluſos habent A. N. C. Dec. 3. Ann. 5. 6. Obſ. 157. A. N. C. Cent. 9. p. 459. A. N. C. Dec. 2. Ann. 9. Obſ. 50. Dec. 3. ann. 4. Obſ. 76. Dec. 2. Ann. 4. Obſc. 151.

m) Septem infantes vno partu editi recenſentur, in Annal. Vrat. cent 31. pag. 204. 210. A. N. C. Dec. 3. Ann. 7. Obſ 210. a BORELLO, cent. 2. Obſ. 44. KORNM. mir. viii. p. 187. 148. 146. 150. 152. RHODIO C. 3. Obſ. 56. PLATERO Obſ. L. 3. p. 706. A. E. L. ann. 1712. menſ. Apr. p. 147.

§. LXII.

Foetum numerus variat pro ovulorum maturorum multitudine.

Pro diuerſa ouulorum maturorum multitudine, vnica maris cum femina cohabitatione, *gemelli, trimelli, quadrimelli*, vel etiam plures (§. LXI.) generantur embryones.

§. LXIII.

Gemellorum generatio differt a ſuperfoetatione.

Ergo gemellorum generatio (§. LXII.) a ſuperfoetatione, quae, intercedente aliqua temporis intercapedine, diſtinctis amplexibus ſuſcipitur, & conſequenter puerperio non vno eodemque, ſed terminatur plane diuerſo, maxime diſcrepat.

n) Superfoetatio, an detur, & quid ſit, adducit, ALBERTI, in Iurisprud. med. P. I. pag 101. 102. 103. 169. W. H. WALDSCHMID de Superfoetat. falſe praetenſa.

§. LXIV.

Plurium ovulorum impraegnatio, vno generationis actu contingit.

Etiamſi gemellorum conceptio, i. e. plurium ouulorum maturorum viuificatio, vno eodemque cohabitationis momento (§. LXII.)

contingat; alterum tamen horum ouulorum, altero citius ab ouario ſurripitur, atque pro vlteriori nutritione, per tubam Fallopianam o) ad vteri cauum propellitur.

o) Ab harum tubarum clauſura ſterilitatem notat RVYSCHIVS, Obſeru. 83.

§. LXV.

Foetus non qui primus vterum ingreſſus, ſed qui primus eundem egreſſus, primogenitus habendus.

Quatenus vero, qui embryo primus matricem introiuerit (§. LXIV.), plane non innoteſcit p); & quatenus primus in vtero aduena, vel propter incolumitatem corporis deficientem, vel propter eius ſitum & poſituram, pro faciliori partu minus idoneam, ſaepe vltimus genetricis aluum derelinquit: ideo non qui *primus* vterum *ingreſſus*, ſed qui *primus* eundem *egreſſus* eſt, de iure pro *primogenito* habendus. q)

p) MASCARDVS, de prob. concl. 1164. Vol. I. n. 3.
q) TIRAQVELL de lure primogeniturae, qu. I. n. 9.

§. LXVI.

Partus utriusque, matris et foetus, opera ſubſidiaria contingit.

Aſt enim partus, non ſola matris, ſed vtriusque, foetus & matris, virtute atque opera ſubſidiaria ſuccedit, r); hinc *in caſu dubio*, non ſolum ad matris, ſed ad foetus etiam conſtitutionem erit reſpiciendum.

r) A. N. C. Dec. I. ann. I. Obſ. 107. MIZALDVS Cent. 4. aphor. 72.

§. LXII.

§. LXVII.

Non foetus corpore validior, ſed qui propior exitui, primus naſcitur.

Adeoque in matre, (§. LXVI.) viae ſi patulae exiſtant, huiusque corpus robore atque viribus pro partu neceſſariis fuerit integrum, non foetus qui corpore validior, ſed qui exitui propior (§. LXV.), primus ad vitae lumina ſurgit.

§. LXVIII.

Illud in primiparis non valet.

Longe tamen aliter ſeſe habet in primiparis, vel quacunque alia genitalium coarctatione praeternaturali laborantibus, in quibus, propter has viarum anguſtias, non foetus egreſſui finitimus (§. LXVII.), ſed qui corpore & viribus praeſtantior, primus plerumque egreditur. s)

SCHOLION.

Hinc gemelli, maſculus & femella, ſi ſimul naſcantur, in caſu dubio, maſculus, tanquam robuſtior, primogenitus praeſumitur.

s) Conf. TIRAQVELL. qui in hoc caſu primogenituram non ſolum ex corporis robore, ſed ab ejus etiam formoſitate ſuſpicatur, l. c. qu. I. n. 8.

§. LXIX.

Primogeniturae praeſumtio non quadrat ad gemellos exciſos.

Minime tamen ad gemellos, matre defuncta, manu chirurgica ex vtero eximendos, quadrat iſta primogeniturae praeſumtio (§. LXV. - LXIIX.).

§. LXX.

Gemelli in matre demortua excisi per locum extraordinarium incedunt.

Etenim gemellorum ex vtero exciſione, in matre demortua facienda (§. LXIX.), foetus gemelli, neque matris, neque propria ſua virtute (§. LXVI.), recta & ordinaria incedunt via, ſed ſubſidiaria opera plane aliena, per viam inſolitam & extraordinariam educuntur.

§. LXXI.

Qui primus in manus Chirurgi incidit, primogenitus habendus.

Atque adeo in eiusmodi caſu (§. LXX.), non qui viae ordinariae (§. LXVII.) finitimus, neque etiam qui corpore & viribus praeſtantior (§. LXVIII.), ſed qui primus ſectionis ope, per viam extraordinariam (§. LXX.), in manus artificis incidit, pro primogenito habendus.

§. LXXII.

Inter gemellos et ſuperfoetationem notabilis intercedit differentia.

Inter hanc gemellorum propaginem, qua vno congreſſu duo vel plura ouula impraegnantur (§. LXII.), & Superfoetationem (§. LXIII.), qua poſt priorem conceptionem, reluctante quadam temporis intercapedine, ex diuerſis maris & feminae amplexibus, foetus iterum alius concipitur, & hinc inde non vno, ſed plane diuerſo partu excluditur, notabilis intercedit differentia.

§. LXXIII.

Superfoetatio an exiſtat?

De Superfoetationis exiſtentia, rationis quippe principiis, atque infinitis hominum & brutorum exemplis abunde comprobata, Medicis atque Iurisconſultis mens vix amplius haeret in ambiguo; ſed intuitu tantummodo temporis, quo Superfoetatio fieri conſueſcat, adhuc ſub iudice lis eſt.

SCHOLION.

Praeter vetuſtiſſimos Medicos & Philoſophos, HIPPOCRATEM, libro de ſuperfoetatione, ARISTOTELEM, de animalium generatione lib. 7. c. 4. l. 4. c. 5. & 7. & PLINIVM, hiſtor nat. lib. 7. c. 2. etiam recentiorum non pauci dantur, quorum fide & auctoritate, ſuperfoetationis poſſibilitas in homine confirmatur: DIEMERBROECKIVS, obſeru. 59. RHODIVS, cap. 3. Obſeru. 52. SALMVTHVS, cap. 3. obſ. 33. FRANCKENAV, ſatyr med. 13. pag. 223. BONETVS, ſepulchr. l. 3. 37. obſ. 6. BARTHOLINVS, A. H. Vol. 5. obſ. cap. 4. hiſt. 14. BORRICHIVS, A. H. Vol. 3. HARDERVS, ephem. l. 2. obſeru. 158. PLATERVS, prax. tom. 3. l. 2. cap. 1. pag. 473. 514. FERNELIVS, phyſ. l. 7. c. 2. SCHENCKIVS, obſ. l. 4. pag. 560. SYLVATICVS, in controuerſ. med. ann. 81. HARVAEVS, de generat. animal. ROVSSETVS, de partu caeſareo. SALMVTHVS, centur. 3. obſ. 33. KERKRINGIVS, ſpicileg. anat. FONTANVS, in epiſt. ad VESALIVM, obſ. 3. p. 4. PARAEVS, obſ. l. 23 caſ. 52. RVYSCHIVS obſ. 14. SINIBALDVS, geneanthr. l. 8. tr. 2. c.

2.

2. pag. 700. c. 3. pag. 702. ALPHONSVS a CARANZA, Iur. Con. Hiſpan. de part. natur. & legit. c. 19. p. 627. LOSSIVS, obſ. med. l. 4. obſ. 14. p. 355. STALPARTVS van der WIEL, cent. 1. obſ. 74. LENTILIVS, miſc. part. 3. p. 301. BIERLINGIVS, theſaur. theor. pract. Obſ. 69. FR. HOFEMANNVS, med. conſ p. 3. caſ. 9. pluresque alii non obſtante iſta uteri oſtii, poſt conceptionem, clauſura partes affirmantium tuentur.

COROLLARIVM.

Inſuper etiam Superfoetationis exempla in brutis recenſentur, a FRANCKENAV, p. 224. 225. equae ſuperfoetationem habet RIEDLINVS, lin. med. ann. 1. menſ. Iul. p. 844. A. E. L. ann. 1696. menſ. Oct. p. 475. ann. 5. p. 475. Leporum ſuperfoetationem addunt A. E. L. ann. 1701. menſ. Nouembr. p. 515. LICHIVS, Hiſtor. nat. l. 2. c. 2. & teſtatur LAVRENTIVS, Hiſt. anat. c. 5. ſues, vtpote brutorum genus ſalaciſſimum & fertiliſſimum, ad ſuperfoetationem prae reliquis animalibus maxime eſſe procliues.

§. LXXIV.

Superfoetatio quo tempore contingat?

De intercurrente temporis intercapedine, qua, poſt conceptum foetum, iterum concipi poterit (§. LXXIII.), inter Iurisconſultos & Medicos, haud certi quid hactenus conſtat. Eo tamen, ſuperfoetationem primis tantummodo diebus, foetu nimirum prius concepto etiamnum puſillo t), fieri, collineant omnes.

t) Conf. GARCIA, de loc. affect. Diſp. 77. c. 5. SPERLINGIVS, de Format. foetus, pag. 79.

§. LXXV.

§. LXXV.

Foetus longo poſt tempore conceptus nunquam vitalis euadit.

Etiamſi iisdem, qui ſuperfoetationem non ſolum primis geſtationis diebus (§. LXXV.), ſed reliquo etiam tempore contingere altercantur, voluerimus adſtipulari, tamen exempla proſtant nulla, foetus vltimis menſibus conceptos, vitales eſſe excluſos; propterea ipſe etiam ARISTOTELES u), *qui longo poſt tempore ſunt concepti, non perficiuntur*, aſſerit.

u) hiſt. nat. lib. 7. c. 4.

SCHOLION.

PEREDA, ſchol. ad c. 55. paſchal. l. I. de cur. morb. KERKRINGIVS, ſpicileg. anat. BARTHOLIN. cent. 4. hiſt. 14. ſuperfoetationem etiam quinto menſe fieri contendunt: ideo haud apprime quadrant, quae ALPHONS. a CARANZA, de part. nat. & legitim. c. 19. p. 631. hac de re profert verba: ſit ergo omnium praedictorum ſumma, ſuperfoetationem prioribus diebus contingere non poſſe; aſt poſt priores illos dies, quocunque grauidationis tempore euenire poſſe x)

x) Conf. ANDREAS LAVRENTIVS, hiſt. anatom. l. 8. c. 5. qu. 22.

§. LXXVI.

Ratio, quare in vita non conſeruandus.

Foetus longo poſt tempore conceptus, non *vitalis*, ſed plerumque *abortiuus* excluditur (§. LXXV.); partim quia propter inſignem vteri haemorrhagiam, huiusque a priori partu productam violentam contractionem, amplius reti-

retineri non poteſt, ſed frequentius eodem tempore, cum priori foetu eiicitur y); partim etiam, quia prior & maior foetus, propria ſua mole, vniuerſum vteri replet cauum, conſequenter poſteriorem foetum premendo, vrget, eique alimentum detrahendo, impedit, quo minus queat perfici. z)

y) Conf. KERKRINGIVS, ſpicil. anatom. & ANDREAS LAVRENTIVS, hiſt. anat. l. c.

z) Vid. GARCIA, de loc. affect. diſp. 72. c. 5.

§. LXXVII.

Datur etiam foetus praeternaturalis.

Denique foetus *praeternaturalis* & *monſtroſus* egreditur (§. LIII.), quando vel vniuerſum eius corpus, vel quaedam partes tantum, a forma ordinaria & naturali haud parum recedunt. a)

a) Conf. de hac materia RALLIVS, de generat. animal. pag. 230 FORTVNAT. LICETVS, demonſtr. l. I. RODERICVS A CASTRO, de morb. mulier. P. I. l. 3. c. I. ANTON. EBERHARD, luc. e tenebr. afful. p. 10. BAVHINVS de hermaphrod. l. I. c. 15.

§. LXXVIII.

Foetus praeternaturalis diuiſio.

Veteres peruerſae huius conformationis foetum (§. LXXVII.) prodigioſum eſſe, & periculoſam rerum commutationem plerumque oſtendere & portendere ſibi imaginabantur; hinc indiſtincte eiusmodi foetum *monſtrum*, *oſtentum*, ſiue *portentum* & *prodigium* nuncupabant. b)

b) De monſtrorum diuiſione conf. BAVHINVS, l. I. FORTVN. LICET. tr. de monſtr. l. I. SINNIBALDVS, geneanthr. l. c. tr. 3. p. 712.

§. LXXIX.

§. LXXIX.

Monſtrum quid ſit?

Proprie vero *monſtrum* (§. LXXVII.) dicitur, quod vel ratione totius corporis, quando e. gr. *ſerpens*, *canis*, vel *vitulus*, ab homine accipit vitam; vel ratione partium quarundam tantum, a forma ordinaria & naturali tantopere recedit, vt plane aliam referat ſpeciem. c)

c) Vid. PARAEVS, l. 24. obſeru. SCHOTTVS & LICETVS.

§. LXXX.

Oſtentum quid ſit?

Oſtentum vocatur, quando vel vniuerſum corpus, vel quaedam partes tantum, ratione magnitudinis, numeri, figurae, ſitus, & connexionis, absque tamen *ſpeciei mutatione* (§. LXXIX.), non decentem habent conformationem. d)

d) De monſtrorum diſtinctione vid LVDOVICI, in uſu pract. diſtinct. iuris. p. 23. item. ALBERTI, iurisprud. med. p. I. p. 110. 13. 14. ZACCHIAS, in qu. med. leg. lib. 7. tit. 1. qu. 1. SINIBALDVS, l. c. lib. 2. tr. 1. c. 3. pag. 93. libr. 8. tr. 3. c. 2. p. 711. l. 5. tr. 1. 6. 12. p. 514. A. E. L. ann. 1723. M. Iunii p. 39.

§. LXXXI.

Monſtrum cum vniuerſae ſpeciei mutatione non datur.

Foetus humanus prorſus in alienam nouamque ſpeciem transformatus (§. LXXIX.), per rerum naturam non exoritur; & quicquid de horum monſtrorum exiſtentia paſſim ab au-

ctori-

ctoribus [e]) prolatum legimus, merito ad opinionum pertinet commenta.

e) Conf. SCHOTTI phyſica curioſa, FORT. LICETI tract. de monſtris, & SCHVRIGII ſpermatologia.

§. LXXXII.

Cauſſa Monſtrorum.

Stamina & rudimenta noui hominis, intra ouulum deliteſcentia [f]), per varias quidem cauſſas, vtero nimirum, generationis officina, vel nimium coarctato [g]), ſcirrhoſo [h]), duro [i]) & quacunque alia ratione praeternaturaliter conſtituto [k]); ſiue etiam ipſo ouario deprauato [l]); vel variis phantasmatibus, ſub viuidiori imaginationis gradu menti impreſſis, haud parum mutantur, diſturbantur, & in peius conuertuntur. Minime tamen virtus formatiua iisdem cauſſis ita in contrarium poteſt verti, vt plane diverſa & noua conſurgat ſpecies.

f) Vid. A. E. L. Sect. 3. pag. 24. ibid. ann. 1701. menſ. Nou. pag. 500.

g) Monſtrum, a conſtrictione abdominis per veſtimenta enatum, adducunt A. N. C. Dec. 2. ann. 2. Obſ. 102. De varia vteri coarctatione conf. FRANCKENAV, in Satyr. med. p. 21. 22.

h) HILDANVS, C. I. Obſ. 65. 66. 67.

i) A. N. C. Dec. I. anno. 4. Obſ. 57. ibid. Cent. 9. p. 910.

k) A. N. C. Dec. I. ann. I. Obſ. 128. A. E. L. ann. 1682. menſ. Iul. p. 220. ann. 1696. pag. 568. RHODIVS, Cent. 3. Obſ. 46. A. Berol. Dec. I. Vol. 4. p. 92.

l) A. N. C. Dec. II. ann. 9. Obſ. 137. 99. A. E. L. ann. 1703. menſ. Mai. p. 219. ann. 1709. menſ. Apr. p. 163. A. Berol. Dec. II. p. 16. Imaginationis effectus in foetu, vid. A. E. L. menſ. Iun. p. 242. ibid. ann. 1725. menſ. Mart. p. 109. ann. 1683. menſ.

menſ. Mai. p. 220. CAMERARIVS, Memorabil. Cent. 2. p. 32. RIEDLINVS, Lin. med. ann. I. menſ. Iul. Obſ. 13. p. 205 GOCKELIVS, Cent. I. conſ. 40. SINIBALDVS, Geneanthr. l. 8. tr. I. c. I. p. 679. Monſtrum diabolicum per imaginationem genitum habet REIES, Qu. p. 545. 546. MARCELLVS DONATVS, Hiſt. memorab. l. 2. c. I.

§. LXXXIII.

In Monſtris, ſpecies quarundam partium tantum mutatur.

Itaque monſtris, ſpeciem ab humana diuerſam, ratione partium quarundam tantummodo, referentibus (§. XXIX.), annumerantur, quorum, capite excepto, vel reliquae corporis partes omnes m), vel quaedam tantum n), brutorum aemulantur figuram; vel quorum reliquae corporis partes omnes naturaliter quidem ſunt conſtitutae, caput autem ſpeciem mutat humanam. o)

m) PARAEVS, Obſ. lib. 24.
n) WELSCHIVS, Obſ. phyſ. med.
o) HAGEDORNIVS, Cent. I. hiſt. I. pag. I.

§. LXXXIV.

Diuerſae Oſtentorum ſpecies.

Ad oſtentorum (§. LXXX.) claſſem pertinent, vel intuitu *magnitudinis auctae*, idque ratione *totius corporis*, *gigantes*; *imminutae*, *pigmaei*; vel ratione *quarundum partium* tantum, *curti*, *claudi*, cum *naſo*, *mento*, & tota facie, vel nimis elongata, *Vlmen-Geſichter*, vel contracta, *Mopſen-Geſichter*, geniti; intuiti *numeri excedentis*, idque ratione *totius corporis*, foetus *bicorporeus*, isque vel *biceps*, vel *moni-*

ceps p); vel ratione *quarundam partium* tantum, foetus *bicephalus* q), *triorchis*, *androgynus*, & qui in quauis manu vel pede *ſex digitos* geſtat; vel quando in vno corpore quatuor manus, vel pedes deprehenduntur r); ratione *numeri deficientis*, foetus *acephalus* s), *monoculus*, absque *pedibus*, *brachiis*, vel *digitis* t), *monorchis* u), *anorchis* x); ratione *figurae*, *valgus*, *varus*, *compernis*, & *gibboſus*; ratione denique *connexionis*, quorum *partes* ſunt *coagmentatae*, quum tamen diuiſae eſſe debebant, vt in *atretis*; vel quando partes dehiscunt & fiſſae ſunt, quae continuae eſſe debebant, vt in *labio* & *roſtro leporino*; ratione *ſitus*, ſi vel partes, quae intra corpus haerere debebant, v. gr. *vterus*, *inteſtina*, extra illud propendent, & contra v. gr. *penis* & *teſticuli retracti*; vel ſi oculus in fronte, aut brachium in dorſo, vel pectore ſit reperiundum.

p) A. E. L. ann. 1708. menſ. Sept. p. 415. ann. 1726. pag. 181. 480. ann. 1691. menſ. Aug. p. 388. ETMÜLLER de Monſtro bicorporeo.
q) A. N. C. Dec. 2. ann. 10. Obſ. 33.
r) CATTVS adducit infantem cum duplici inteſtino recto, veſica vrinaria & vtero.
s) A. N. C. Dec. 2. ann. 9. Obſ. 198. 148.
t) Vid. Breſſl. Geſchichte, Verſ. 20. p. 626.
u) TIM. a GÜLDENKLEE, lib. 3. caſ. 45.
x) A. N. C. Cent. 1. p. 418.

§. LXXXV.

Quaeſtiones de Monſtris conſurgentes.

Propter mutatam iſtam corporis ſpeciem (§. LXXXIII.), monſtra iuxta, variae quaeſtiones

nes, ad controuerſias, partim eccleſiaſticas, num videlicet,

1) lymphis ſacris immergendum ſit monſtrum?
2) num matrem criminis ſodomitici reddat ſuſpectam?
3) num tori foedus inire queat?

partim etiam ciuiles, pertinentes,

1) num teſtamentum diſſoluere, & in haereditatem ſubſtitui poſſit?
2) num foetus monſtroſi mater, iuribus & priuilegiis, ex filiatione emergentibus, gaudere debeat?
3) num in foro iurare, ac vltimas voluntates ſignificare queat?
4) num impune vita ſpoliari? numque
5) muniis publicis adhiberi poſſit?

conſurgunt.

§. LXXXVI.

In deciſione quaeſtionum §. LXXXV. perpendendum, monſtrum num pro homine ſit habendum?

In decidendis iſtis quaeſtionibus (LXXXV.), Theologi & Iuriſconſulti eo maxime reſpiciunt, num foetus, ab humana figura quadantenus recedens, pro vero homine ſit habendus, nec ne? Si prius, tali etiam foetui monſtroſo ab homine progenito, iura, atque iurium beneficia, quibus homines vtuntur fruunturque reliqui, deferenda eſſe contendunt.

SCHOLION.

Naſcituri, nouo iure, ad natorum quidem admittuntur iura, eadem tamen manent ſuſpenſa, donec naſcantur, & tunc *viui*, *perfecti* & non *monſtroſi* in lucem prodire debent.

§. LXXXVII.

Monſtri humanitas a facie deſumitur.

Monſtri humanitatem (§. LXXXVI.) animae rationalis praeſentia efficit. Animae vero rationalis praeſentiam, a *facie*, vel *capite humano* y), mentis quippe metropoli, praeſumunt.

y) Propterea LVDOVICI, in vſu practico diſtinctionum iuris, pag. 23. monſtrum nuncupat, cui caput humanum deeſt.

§. LXXXVIII.

Animae ſedes vbinam ſit reperiunda?

Quemadmodum vero ψυχὴ, κατα θεσιν physice quid ſit? nemo Philoſophorum hactenus potuit dicere z); ita etiam ſedem eiusdem determinare haud cuidam licebit. De hac potius re maxime inter ſe diſcrepat Philoſophantium turba, adeo, vt quidam in corpore calloſo a), alii in glandula pineali b), alii radicaliter in corde, emanenter vero in cerebro c), alii in ſanguine, alii in toto corpore d), alii in extremitatibus digitorum, alii in ſuperciliis, alii in ſcrobiculo cordis, alii in infimo ventriculi orificio, animae quaerant domicilium.

z) Conf. A. E. L. ann. 1708. menſ. Febr. pag. 62. ibid. ann. 1712. menſ. Octob. p. 480. ann. 1705. menſ. Febr. p. 52. 464.

a) Vid. THONERVS, l. 6. epiſt. 6. p. 291.

b) A. E. L. ann. 1688. menſ. Mart. p. 236.

c) CASMANNI Pſychol. p. 2. c. 26. qu. 3. p. 854.

d) LVD.

d) LVD. VINSLOVII Diſſert. de Animae rationalis ſede.

§. LXXXIX.

Capite deficiente, etiam animam rationalem deficere, eſt veritas hypothetica.

Quicquid igitur de animae praeſentia, a facie, vel capite humano deſumta (§. LXXXVII.), ab auctoribus adſtruitur, ſolis innititur hypotheſibus. Ergo mutata capitis ſpecie, vel eodem plane deficiente, etiam animam deeſſe rationalem, non niſi hypothetice poteſt inferri.

§. XC.

Monſtrum et portentum acephalum, quamdiu viuit, animam habet rationalem.

Vita hominis in vnione mentis cum corpore conſiſtit, (§. I.); adeoque monſtrum, ac portentum acephalum (§. LXXXIV.), quamdiu vitam ducit, tamdiu cum eius corpore animam rationalem vnitam eſſe, ex neceſſitate ſequitur.

SCHOLION.

Vita praeſente, animam eſſe praeſentem, atque anima praeſente, vitam eſſe praeſentem, teſtatur GARMANNVS, mirac. mortuor. l. 3. tit. 7. §. 125. ita etiam animam eſſe vitam, & cauſſam vitae, ad rationis trutinam ſolide perpendunt, THOMASIVS not. ad LANCELLOTTVM, l. 4. §. 7. p. 2101. & REIES Camp. Elyſ. qu. 31. pag. 366.

§. XCI.

Homo hominem non quoad partem generat.

Inſuper etiam homo ſibi ſimile non progenerat quoad partem, ſed quoad totum eſſentiale

tiale. Totum vero eſſentiale conſtat ex anima rationali, atque corpore organico. [e])

e) ANTON. GRANDIS, in Inſtit. philoſoph. part. 8. cap. I.

§. XCII.

Monſtrum acephalum viuum, in alio corporis cauo cerebrum recondit.

Caput ad partes hominis integrales, easque magis principales pertinet, quo deficiente, homo in vita perſiſtere non poteſt. Ergo, foetu acephalo (§. LXXXIV-LXXXX.) vitam protrahente, viſcera capitis in alio corporis cauo finitimo delitefcere [f]), ibidemque animam reſidere, praeſumitur.

f) Monſtroſi capitis hiſtoriam, ſine cranio & cerebro, recenſent A. N. C. Dec. anno. 3. Obſ. 280.

§. XCIII.

Generatione noui hominis, ſpecies mutari nequit.

Foetum humanum, ratione totius corporis, prorſus in aliam ſpeciem transformari poſſe, rationi & experientiae repugnat (§. LXXXI.). Vbi itaque homo, quoad vnam quidem partem eſſentialem, eamque minus principalem, corpus nimirum organicum, ſpeciem non progenerare poteſt aliam; multo minus partis eſſentialis, magis principalis, animae videlicet rationalis, & conſequenter totius eſſentialis (§. XCI.) ſpeciem valet inuertere

§. XCIV.

Ad quaeſt. (§. LXXXV.) reſpondetur.

Ergo etiam ad (§. LXXXXV.) primae claſſis quaeſtionem primam & ſecundam, qui ſeme

ſemen maſculinum non pro modulo propriae ſuae actiuitatis, ſed receptiuitatis agit, *affirmando;* ad tertiam propter ſcandalum, ex eiusmodi connubio emergens, deuitandum, *negando:* ad ſecundae vero claſſis quaeſtionem primam, ſecundam & tertiam, *affirmando;* denique ad quartam & quintam, negando, reſponderi poterit.

§. XCV.

De animae atque corporis mutatione intra vterum.

Anima foetus intra vterum maternum quas ſubeat mutationes, in apricum proferri non poſſe (§. XII.), adéoque hominis nondum excluſi aetatem, non ſecundum mentis, ſed ſecundum corporis vires & perfectionem decernendam eſſe, mox in limine tractationis (§. XIII.) expoſuimus.

§. XCVI.

De vtriusque mutatione extra vterum.

Longe aliter ſeſe illud (§. CXV.) habet, cum homine extra vterum viuente; in hoc enim illico poſt partum, mentis operationes notabiliter ſeſe exſerunt, & vtriusque, mentis atque corporis vires magis magisque increſcunt, atque iterum decreſcunt.

§. XCVII.

Per certas periodos et tempora contingit iſta mutatio.

Virium vtriusque, mentis atque corporis, augmentum & decrementum (§. XCVI.), per certas vitae periodos & tempora plerum-

que contingit; & ſecundum iſtam annorum ſeriem, a Medicis & Philoſophis, etiam in homine extra vterum viuente, variae aetatum ſpecies conſtituuntur.

§. XCVIII.

Generatim tres dantur aetatum ſpecies.

Ita etiam Ariſtoteles g), pro diuerſa hac mentis atque corporis mutatione (§. XCVI — XCVII.), generatim tres aetatum conſtituit ſpecies; ptimam *augmenti*, Galeno, a voce παῖς παιδεία dictam h), qua animi atque corporis robur incrementum ſumit notabile, & propterea viciſſitudinibus variis deprehenditur obnoxia, ſecundam, *conſiſtentiae*, qua mentis atque corporis vires neque augentur, neque decreſcunt, ſed ad certum temporis ſpatium ſtant ſuo robore firmae; tertiam, *decrementi*, qua vtriusque potentia valida iterum extenuatur, atque in ipſam denique mentis & corporis diſſolutionem (§. VII.) terminatur.

g) Lib. de vita & morte.
h) De temperament l. 2. cap. 2.

§. XCIX.

Quaelibet aetas generalis, iterum alias ſuas habet ſpecies.

Quilibet vero aetatis huius terminus (§. XCVIII.), periodos, quibus anima & corpus varias nouas ſubit mutationes, itidem ſuas habet alias. Exinde plures etiam aliae, prout nimirum animae atque corporis vires vel increſcunt, vel decrescunt (§. XCVI — XCVIII.), aetatum ſpecies conſurgunt. i)

i) De

i) De aetatum diuiſione conf. BRAVO, P. I. diſp. 4. reſol. 1. p. 166. reſol. 2. p. 118. CASMANNVS, in Pſychol. P. 1. c. 3. qu. 4. p. 75. CAMERARIVS, Cent. memor. 16. part. 1. cent. 10. part. II.

§. C.

Primae huius aetatis generalis diuiſio.

Augmenti aetas (§. XCVIII.), tres ſub ſe comprehendit ſpecies, nimirum *infantiam*, *pueritiam* & *adoleſcentiam*, quarum quaelibet ſeptenario annorum numero circumſcribitur. k)

k) Vid. A. E. L. Sect. III. part. II. FRID. HOFFMANN, de Annorum climactericorum rationali & medica explicat. BRAVO, Conſult. med. V. p. 262.

§. CI.

Quaelibet aetatis huius periodus accelerari et retardari poteſt.

Triplex iſte hominis ſtatus (§. C.), variis ex cauſſis, naturalibus & non-naturalibus, facile poteſt accelerari & retardari; ergo in aetatum diſtinctione, non ad annorum iſtum numerum (§. C.) tantum, ſed ad animi & corporis etiam virium incrementum & decrementum (§. XCIX.), maxime erit reſpiciendum.

§. CII.

Quid ſit infantia?

Infans a voce, *fari*, ſuam eſt ſortitus denominationem, atque hominem denotat *fari neſcium*, indiſertum l); hinc *infantia* (§. C.), ita dicitur vitae periodus, qua homo mentis cogitata, veloci ac promta elocutione proferre, atque diſtincte alteri communicare nequit.

l) CICERO, Lib. III. ad. Quint. ep. IV.

§. CIII.

Infantes cum inſipientibus ſunt comparandi.

Hanc ob cauſſam (CII.), infantes at pueri, a Iuriſconſultis, cum fatuis & inſipi tibus haud raro comparantur m); & quam iisdem, prae ſtolidis ac fatuis, certae qu dam praerogatiuae de iure concedantur, tam ad actus eccleſiaſticos & ciuiles haud quaqu admittuntur. n)

m) MENOCHIVS, Vol. I. conſ. 82. pag. 207.

n) WESENBECIVS, ad Tit. ff. de Teſt. no. 3. Z CHIAS, Quaeſt. med. leg. lib. I. tit. I. qu. no. 16.

SCHOLION.

Delictum absque delinquendi animo non p petratur. *Fatui, infantes & impuberes* l animo prorſus deſtituuntur; ergo etiam i los delicti non cadit poena, l. 12. c. ad Corn. de *ſiccariis*. C. C. C. art. 174. 179. Inte tamen, ſi in vtrisque *malitia* voluntatem aetatem fortaſſis ſuppleuerit, vt ſe mi recte feciſſe perſentiant, caſtigantur, im etiam poena interdum extraordinaria ctuntur. Stryck de *poena impuberum*.

§. CIV.

Infantiae finis et terminus.

Infantia (§. CII.) ſeptimo aetatis an quo plerumque dentes, organa ad loquel formandam maxime neceſſaria, veteribus cuſſis, noui conſurgunt, terminatur; dan tamen & ingenia praecocia, citius ſeneſc tia, & ſtupida ac tarda, quorum infantia temporis ſpatium ſaepe longum protrahitur

o)

o) Infantiae perpetuae, atque ad annum trigeſimum ſeptimum protractae, exemplum legimus in A. N. C. Dec. I. ann. 10. Obſ. 198.

§. CV.

Pueritiae initium.

Primo ſeptenario (CIV.) confecto, homo alteram primae aetatis generalis (§. XCVIII.) periodum ingreditur; & quemadmodum per illud temporis ſtadium, calor naturalis magis magisque augetur, atque oſſa ſoliditatem acquirunt maiorem: ita etiam natura ad nouum quaſi aliud corporis complementum ſeſe accingit.

§. CVI.

Pueritiae terminus.

Vitae illud ſpatium, a primo ſeptenario (§. CIV. ad annum decimum quartum protenſum, *puerilis* ſeu *pupillaris* dicitur *aetas* p); homines vero eodem vitae termino conſtituti, *pueri* i. e. *puri* ſeu *impubes* vocantur. q)

p) L. fin. §. 2. ff. de verb. oblig.

q) CENSORINVS, de die nat. c. XV. quod vero etymon SCALIGERVS, in coniecturis VARRONIANIS, eſt aſpernatus, eamque vocem a Graecorum πῦρ deriuatam voluit.

§. CVII.

Pubertatis initium.

Poſt ſecundum ſeptenarium (§. CVI.), homo ad illum maturitatis & perfectionis gradum plerumque deuenire ſolet, quo, absque indiuidui ſui notabili laeſione, ad ſpeciem conſeruandam idoneus aeſtimatur.

§. CVIII.

§. CVIII.

Pubertatis finis.

Hinc periodi huius (§. CVII.) initium *ephebia*, *pubertas*, ſiue *adoleſcentia* nuncupatur r), atque ex IVSTINIANO, in maſculis poſt annum decimum quartum, in femellis poſt annum duodecimum s) incipit; ex iure vero Saxonico, cum tertio primae aetatis generalis (§. XCVIII.) ſeptenario deſinit.

r) SINIBALDVS Geneanth. l. 2. tr. 3. c. 3. p. 216.
s) pr. I. quib. mod. tutel. fin.

§. CIX.

Iuuentutem dignoſcendi veterum conſuetudo.

Circa tertii ſeptenarii initium (§. CIIX.), in vtriusque ſexus pudendis, & ſub axillis, pili, libidinis & generandi potentiae indices, excreſcunt; hinc ad decernendam iſtam corporis maturitatem (§. CVII. — CVIII.), olim apud Romanos, partium ſecretiorum inſpectio & luſtratio ſuſcipiebatur; quam vero indecoram, minusque honeſtam conſuetudinem, Imperator IVSTINIANVS poſthaec aboleuit iterum. t)

t. pr. I. quib. mod. tutel. fin.

§. CX.

Dantur adhuc alia pubertatis ſigna.

Itaque de pubertate dubium ſi mouetur, plura certe alia adminicula, quibus de eius praeſentia certiores reddimur, in ſubſidium ſunt vocanda; librorum nimirum eccleſiaſticorum indices peruoluantur u), quibus deficien-

ſcientibus, in vtroque ſexu, ex ſermocinationibus de rebus venereis, ſtimulum ad Venerem indicantibus, ex vocis mutatione, quae hunc temporis grauis atque aſpera euadit; in ſexu nobiliori, ex lanuginis in mento excreſcentia, in ſequiori vero ſexu ex mammarum intumeſcentia, & catameniorum profluuio, pubertatis anni facile dignoſcuntur.

u) STRYCKIVS, de Iure ſenſuum diſſ. I. c. I. n. 6. 57.

§. CXI.

Aetates variant ſecundum temperamentorum differentiam.

Neque vero aetates generatim adeo ſtrictis & anguſtis circumſcribuntur limitibus, ſed pro temperamentorum varietate, illarum augmentum & declinatio maxime diſcrepat. Sic etiam, ſecundum hancce temperamentorum differentiam, pubertatis tempus in vno ſubiecto acceleratur x), in altero longius differtur. y)

x) Puerum iam tertio aetatis anno barbatum referunt A. N. C. Dec. II. ann. 4. Obſ. 163. A. E. L. ann. 1686. menſ. Oct. p. 487. p. 487. ann. 1720. menſ. Nou. p. 513. SINIBALD. Geneanthr. l. 2. tr. 3. c. 15. p. 242. SPINDLERVS Obſ. 97. GARMANN. p. 47. §. 72. BLEGNY Zodiac. Gallic. ann. 1680. menſ. Oct. obſ. 9. Ita etiam puellarum parientium mentionem facit. SIMON. de impot. conj. c. 6. l. 5. no. 3. 6. FRANCK. p. 73. 76. 79. REIES Qu. 45. p. 559. SINIBALD. l. c. l 2. tr. 3. c. 13. p. 242. A. N. C. Dec. 3. ann. 2. Obſ. 172. Puellam mox cum pube, & mammis turgentibus, immo etiam cum periodico menſium fluxu progenitam, habet SINIBALD. l. c. l. 6. tr. 1. c. 5. p. 585.

y) ALBERTI Iur. pr. med. P. I. c. 2. §. 6. KORNMANNVS mir. mort. p. 94.

§. CXII.

§. CXII.

Secundae aetatis generalis diſtinctio.

Secunda aetatis generalis ſpecies, GAL NO z) ἀκμὴ, flos aetatis, *vigor ſummus*, ſ *conſiſtentiae* dicitur ſtatus (XCVIII.), atq duas diſtinctas alias periodos, *iuuentutem* n mirum, & *aetatem virilem* comprehendit.

z) De temperamentis l. c. 2.

§. CXIII.

Iuuentus quid ſit?

Iuuentus (§. CXII.), ex Iure Saxonic poſt tertii ſeptenarii finem, ex Iure vero uili poſt quarti ſeptenarii medium, incipit, ad quarti ſeptenarii finem, ſeu *aetatem viril* proprie ſic dictam, protenditur.

§. CXIV.

Iuuenes ad actus ciuiles et eccleſiaſticos admittendi.

Per hanc aetatis periodum (§. CIII.), co pus debitam extenſionis ſuae determinatione & menſuram nanciſcitur, atque tunc temp ris homo iam plenum rationis habet vſu hincque ad omnis generis actus eccleſiaſticos ciuiles rite ſubeundos, apprime deprehendit idoneus.

§. CXV.

Aetas virilis.

Quarti ſeptenarii finem, ſeu aetatem *uenilem*, excipit aetas *adulta*, ſiue *virilis* pr prie ſic dicta (§. CXIII.), quae duobus al ſeptenariis definita, ad annum quadrageſimu ſecundum, ſuum habet terminum; quo c

niq

nique mens humana, pleriſque ideis inſtructa, ad ακμὴν, ſummam perfectionem peruenire ſolet.

§. CXVI.

Aliud eſt ſummum corporis, atque aliud mentis.

Datur ergo aliud corporis (§. CXII.), atque aliud mentis ſummum (§. CXV.,) quo vtriusque vires, neque acceſſionem, neque etiam notabilem patiuntur diminutionem.

§. CXVII.

Tertia aetas generalis.

Homo per ſeptenarii ſpatium, in iſto aequilibritatis ſtatu (CXVI.), ad annum quadrageſimum nonum plerumque conſeruatur; poſt haec vero humores atque ſpiritus imminuuntur, fibrae ſolidarum partium ſenſim ſenſimque rigidiores euadunt a), atque a voce παρὰ & ἀκμὴ, vel a παρακμάζω, vigorem amitto, conſeneſco, παρακμη καὶ γηρος, i. e. decrementi, ſeu declinationis incipit ſtatus (§. XCVIII.).

a) A. E. L. ann. 1709. menſ. Maj. p. 221.

§. CXVIII.

Corporis robur, animi viribus citius deſtruitur.

Quemadmodum vero corpus magis properanter (§. CXII.), anima viciſſim multo tardius ad ſuam ακμην peruenit (§. CXVI.); ſic etiam corporis vigor, animae viribus prius citiusque deiicitur.

§. CXIX.

Diuerſae dantur ſenectutis periodi.

Prout igitur animae atque corporis vires pedetentim decedunt (§. CXIIX.), proinde etiam

etiam diuerſae ſenectutis conſtituuntur periodi. b)

b) GALENVS de tuenda ſanitate l. I. c. 8. RFIES qu. 99. ann. 6. p. 1232. HIPPOCRATES, aphoriſ. 13. ſect. I.

§. CXX.

Senectus florida.

Primus declinationis gradus, ab anno quadrageſimo nono incipit (§. CXVII.), & propter viuidum animi atque corporis robur, cum hac vitae periodo adhuc plerumque coniunctum, *ſenectus* dicitur *florida*. c)

c) RIEDLINVS, lin. med. ann. 2. menſ. Mai. Obſ. 24.

§. CXXI.

Senes αμογεροντες quid ſint?

Maxima aetatis huius (§. CXX.) pars, duobus ſeptenariis circumſcribitur aliis, atque ad annum terminatur ſexageſimum tertium. Homines in hac aetatis periodo conſtituti, ſenſibus & internis & externis haud quaquam deſtituuntur; hinc etiam ab à Graecorum priuatiuo, & μογερῶς, aegre & difficulter, αμογεροντες vocantur, & actuum quorumcunque publicorum, eccleſiaſticorum & ciuilium, adhuc capaces aeſtimantur. d)

d) WESENBECIVS, ad tit. de donatione inter viuos.

SCHOLION.

Romae, vrbe igne & ferro a Gallis deuaſtata, decretum, propter cibariorum defectum, eſſe promulgatum, vt ſexagenarii, tanquam homines inutiles, e ponte ſublicio in tyberim traiicerentur, vnde ſexagenarios *depontanos* eſſe dictos, habet MARTIANVS, in topograph. vrb. Rom. l. 7. c. 7.

§. CXXII.

§. CXXII.

Media ſenectutis pars.

Altera ſenii pars, ab anno ſexageſimo tertio initium ſumens (§. CXXI.), atque per duos alios ſeptenarios, ad annum ſeptuageſimum ſeptimum denuo protracta, animi quidem vigorem adhuc aliquando tuetur, corporis vero vires magis magisque decreſcunt; color faciei viuidus in liuidum & deformem mutatur; rugae contractae ad frontem & genas conſurgunt, atque vniuerſum caput capillis aſpergitur canis; vnde etiam a voce πολὶος, canus, & κροταφος, tempus, φρονιδες, a φροντίζω, curam & ſolicitudinem gero, dicuntur πολιοκρόταφοι, canitiem inducentes, ſeu ſenes cana tempora habentes.

§. CXXIII.

Aetas decrepita.

Tertius ſenectae gradus, ſiue ***aetas decrepita***, ab anno ſeptuageſimo ſeptimo (§. CXXII.) capit primordium; atque tandem in mortem terminatur.

§. CXXIV.

Aetate decrepita conſtituti inſipientibus adnumerantur.

Homines effoeto iſto ſenio (§. CXXIII.) conſtituti, ſine dubio, a vocabulo πεμπάζω, *quinos numero*, πέμπελοι, *bis quinque ſeptenarios numerantes*, vocantur. Propter grauiſſimam animi atque corporis imbecillitatem, *infirmis* e), vel ſi ſenſus, praecipue externi, deficiant, *pueris*; ſenſibus vero internis vacillantibus, *in-*

ſipientibus, quibus teſtimonium dicere, vel ultimas voluntates ſignificare haud quaquam permiſſum [f]), accenſentur.

e) SCHELHAMMERI diſſ. de morb. aetatum. ZACCHIAS qu. med. leg. lib. I tit. I. qu. 10.

f) WESENBECIVS, de donatione inter viuos.

SCHOLION.

Vtraque, animi atque corporis, imbecillitas, ab aetatis vitio promanans, ex actionum animalium & vitalium torpore & ſegnitie ſufficienter cognoſcitur; hinc vocabulum πεμπελος, graecis, ſenem admodum decrepitum, iam ad cocytum trajiciendum denotat.

INSTI-

INSTITVTIONVM MEDICO-LEGALIVM.

CAPVT II.
DE IMPOTENTIA CONIVGALI.

§. CXXV.

Indiuidui ac ſpeciei conſeruatio eſt obligatio naturae.

Homo mox in lucem editus, atque aura iam liberiori fruens, quemadmodum propriam *indiuidui* ſui tutelam appetere, eandemque conſentanea cibi potusque aſſumtione ſuſtentare exſtimulatur; ſic etiam, certa quadam corporis euolutione conſequuta, *ſpeciei* conſeruationi indulgere (§. CVII.), altera naturae lege eſt obſtrictus.

SCHOLION.

Non ſolo hoc naturae dictamine, ſed poſitiuis etiam legibus ciuilibus, & ſpecialiter quondam per legem Papiam Popaeam l. v. c. de

Caduc. toll. ad liberorum procreationem adigebantur; immo in hodiernum vsque diem, iuſta poena, matrimonii contemtus vindice, impelluntur. SCHOTTELIVS, de diuerſ. German. Iur.

§. CXXVI.

Species, vtriusque ſexus copula carnali, conſeruatur.

Speciei conſeruatio (§.CXXV.), vtriusque, maris atque foeminae, copula carnali, maximam voluptatem ſenſualem conſociatam habente g), perficitur.

g) Generationis actum, in ſtatu innocentiae, a libidinis flammis atque concupiscentiae ardore plane remotum fuiſſe, teſtatur SINIBALDVS, Geneanthr. l. 10. tr. 1. c. 5. p. 819. l. 1. tr. 3. c. 10. pag. 79. c. 6. pag. 54.

§. CXXVII.

Generatio quid ſit?

Iſta igitur actio, qua ex diuerſi hominis h) connubio foecundo (§. CXXVI.), nouus alius producitur homo, *generationis* accepit nomen.

h) ADAMVS, humani generis auctor, num vtramque ſeminalem auram intra ſe ipſum habuerit reconditam, in A. E. L. ann. 1708. menſ. Dec. p. 545. ann. 1720. menſ. Nou. p. 516. diſquiritur.

§. CXXVIII.

Sexus quid ſit?

Hominis differentia (§. CXXVII.), a partium generationis actui inſeruientium, diuerſa conformatione ac vſu deſumta, *ſexus* vocatur. i)

i) Sexu diſcrepare quid ſit? SINIBALDVS, Geneanthr. l. 2. tract. 1. c. 2. p. 92. ſignificat.

§. CXXIX.

§. CXXIX.

Sexus diuiſio.

Partes generationi dicatae (§. CXXVII. CXXVIII.), aliae magis *actiue*, atque iterum aliae magis *paſſiue* ad generationis illud negotium (§. CXXVII.) concurrunt; hinc in ſexum *potiorem*, ſeu *virilem*, & *ſequiorem*, ſeu *foemineum*, enata eſt diſtinctio.

SCHOLION.

Ad ſcortationes, adulteria, aliaque ſcandala deuitanda, ſexus, ſignis quoque externis Deut. XXII. v. 5. veſtibus nimirum, capitis tegmine, 1 Cor. XI. v. 4. & ex Legibus XII. Tabular. per barbae atque comae nutritionem, eſt diſtinguendus.

§. CXXX.

Generandi aptitudo determinatur.

Vtriusque huius ſexus (§. CXXIX.), organorum genitalium decens conſtitutio, atque aetas legitima, qua corpus ad debitam ſuam extenſionem peruenit (§. CXXV.), ſtatum iſtum hominis, quo connubium ſubeundi idoneus aeſtimatur, determinat. k)

k) CARPZOVIVS in Iurisprudent. Conſ. l. 2. tit. def. 13. ann. 1. NICOLAI de Repub. l. 1. c. 2. v. 81.

§. CXXXI.

Societatis connubialis ſcopus.

Quandoquidem vero hic ſtatus (§. CXXX.) transiens & mutabilis deprehenditur; ideoque ſocietatem ineuntes connubialem, praeter ſcopum *primarium*, ſobolis nimirum procreatio-

nem [l]), etiam alium, *ſecundarium* [m]), operam videlicet ſubſidiariam mutuam, collineant.

l) Gen. I. v. 28.
m) Gen. II. v. 18.

SCHOLION.

Scopum etiam tertium, vſtionum videlicet repreſſionem, quidam ſuperadditum volunt, BEIERVS comp. theol. poſit. p. 3. c. 16. §. 38. attamen *ſecundum* (§. VII.) ſimul etiam comprehendere *tertium*, teſtatur LVTHERVS in commentar. ad. c. 28. geneſ. Tom. IX.

§. CXXXII.

Impoſſibilitas ſcopos matrimoniales obtinendi, diuortii cauſſa euadit.

Propter impoſſibilitatem ſcopum obtinendi *alterum* (§. CXXXI.), ſocietas connubialis ex iisdem naturae (§. CXXV.) atque poſitiuis etiam legibus, haud iterum raro dirimitur. [n])

n) MENOCHIVS de arbitr. iudic. quaeſt. l. 2. cent. 6. caſ. 519. HAVEMANNVS gamalog. l. 3. tit. 8. §. 12. n. 1. GERHARDVS de coniugio §. 661.

§. CXXXIII.

Iſta impoſſibilitas, in moralem et phyſicam diſtinguitur.

Impoſſibilitas ſcopos ſocietatis connubialis obtinendi (§. CXXXI– CXXXII.), vel certis animi atque voluntatis actionibus nititur, vel praeternaturali corporis conſtitutione eſt fundata; haec, impotentia *phyſica*, iſta, *moralis* audit.

SCHOLION.

Inter impotentiae moralis cauſſas, vtriusque perſonae naturarum contrarietas, defectus,

ctus formoſitatis & amoris coniugalis, diſcordia, nauſea, & abhorrescentia, ſtimulum Veneris notabiliter ſupprimentes, referuntur.

§. CXXXIV.

Medici iudicium de impotentia phyſica tantummodo deſideratur.

De impotentia *morali* (§. CXXXIII.) inter Theologos & Iurisconſultos disceptatur; de *phyſica* vero (§. CXXXIII.) ſaepe etiam Medici ſententia, in vtroque foro eccleſiaſtico & ciuili, quaeritur.

§. CXXXV.

Impotentiae phyſicae diſtinctio.

Impotentia phyſica (§. CXXXIII.), duplicem, *cohabitationis* nimirum, ac *foecundationis* actum reſpicit; hinc in *priorem*, ſeu *cohabitandi*, & *poſteriorem*, ſeu *foecundandi* potentiam, commode diſtinguimus o)

o) Hanc impotentiae diſtinctionem, Scholaſtici per impotentiam ad generationis *actum*, & ad generationis *effectum* interpretantur.

§. CXXXVI.

Impotentia poſterior plerumque dubia deprehenditur.

Impotentia autem *poſterior* non ex neceſſitate includit *priorem* (§. CXXXV.), neque etiam *poſterior* propria patescit ſponte, ſed dubium ſaepe relinquitur, ſcopus matrimonii *primarius* (§. CXXXI.) quin ex culpa maris vel foeminae obtineri queat; propterea in eiusmodi caſu ancipiti, impotentia *poſterior*, ſecundum Iuris

canonici textum, vel per iuramentum p), vel per inſpectionem medicam q), ſiue etiam expectatione per triennium r), erit disquirenda.

p) C. requ. 2. XXXIII. qu. 1. c. laud. 5. c. lit. veſtr. 7. X. de frig.

q) In c. quod autem interrog. 1. XXXIII. qu. 1. c. acc. I. c. ex lit. t. 3. de frig.

r) L. 10. iuncta auth. ſed hodie c. de repud. Nov. 22. c. 6. c. laud. 5. c. tit. veſtr. 7. X. de frigid.

§. CXXXVII.

Quid proprie impotentiae nomine veniat?

Quoniam vero organis generationi dicatis deſtitutus, inſimul foecundandi orbatur facultate; ideoque impotentiae non *poſteriori* (§. CXXXV.), proprie *impotentiae* competit nomen, & non haec, ſed illa pacti connubialis reſciſſionem (§. CXXXII.) saepius operatur. s)

s) MENOCHIVS de Arbitr. iud. quaeſt. lib. 2. cent. 6. caſu 519. no. 15.

§. CXXXVIII.

Impotentiae diuiſio in congenitam & aſcititiam.

Vtramque cohabitandi & foecundandi potentiam (§. CXXXV — CXXXVII.), in *congenitam*, & *aſcititiam*, ſeu in matrimonio contractam, diſcernimus; illa *naturalis*, haec autem *accidentalis* impotentiae nomine ſolet inſigniri.

§. CXXXIX.

Impotentia abſoluta et relatiua.

Etiamſi impotentia *naturalis* plerumque artificis opem prorſus eludat omnem, & *accidentalis*, a cauſſis mere externis contracta, certa temporis intercapedine haud iterum raro

eua-

euaneſcat; tamen vtramque (§. CXXXVII.) in *abſolutam* & *relatiuam* conſueſcunt dirimere.

§. CXL.

Impotentia abſoluta operatur diuortium.

Nexus connubialis, propter impotentiam *abſolutam* (§. CXXXIX.), pariter naturae & poſitiuis legibus iterum diſſoluitur (§. CXXXII.); ex noſtratium vero Theologorum principiis, ſecundum dictum illud Matth. V. v. 32. c. XIX. v. 9. & 1 Cor. VII. v. 15. praeter adulterium, & malitioſam deſertionem, ab obligatione matrimoniali plane nulla datur liberatio. [t])

t) MENOCHIVS de arbitr. iud. qu. lib. 2. cent. 3. n. 9. 29. CARPZOVIVS in Iurispr. conſiſt. l. 2. tit. 9. def. 200. HAVEMANN in gamolog. l. 3. tit. 8. c. 12. §. 1. BEZA, de repud. & diuort. p. 153. 209.

§. CXLI.

Cauſſae divortii plures dantur aliae.

Praxis autem quotidiana fere ſuadet contrarium, atque praeter deſertionem iniquam, & violationem iſtam iurium connubialium (§. CXL.), cauſſas exiſtere plures adhuc alias coniugium diſſoluentes, luculenter commonſtrat. [u])

u) BRVNNEMANNVS ad l. 6 ff. de diuort. n. 4. & ad leg. 8 c. de repud. no. 9. WESENBECIVS, in part. l. ff. tit. d. R. N. & de diuort. tit. n. 9. LVTHERVS in libr. de reb. matr. tom. 5. part. 2.

§. CXLII.

Coniugium propter impotentiam abſolutam non ſemper dirimitur.

Interim tamen & impotentia *abſoluta* (§. CXXXIX. CXL.), vinculum connubiale prop-

ter ſcopum ſecundarium (§. CXXXI.) hau
poteſt interrumpere, ſi vel talis impotenti
praeter voluntatem in matrimonio fuerit *accen*
ſita x), vel ſi *congenita* quidem (§. CXXXVIII.
alteri tamen contrahentium parti, ante initam
obligationem pactitiam, cognita penitus fue
rit atque perſpecta; quia, ex Iureconſultorum
placito, *damnum quod quis propria ſua culpa ſen*
tit, non ſentire videtur. y)

x) MENDOZA theol. moral. tom. 3. part. 2. lib. 2
c. 14. n. 90. LAYMANNVS, theol. moral. lib.
tract. 10. p. 4. c. II. n. I.

y) L. 203 ff de R. I. l. 46. de pact. l. 29. c. eod. l. 4
de Min. MENOCHIVS de arbitr. iud. quaeſt. cen
6. caſu 5. n. 9. 24.

§. CXLIII.

Impotentia oritur, vel ex culpa maris, vel foeminae

Quoniam vero vterque cohabitationis
foecundationis actus (§. CXXXV.), non vniu
ſed diuerſi hominis concurſu abſoluitur (
CXXVI – CXXVII.), igitur iſta congeni
cohabitandi & foecundandi impotentia (
CXXXVIII.), vel maris, vel foeminae, v
vtriusque cauſſa ſuboriri poteſt.

§. CXLIV.

Impotentia ex culpa maris quotuplex ſit?

Maris culpa, impotentia producitur *con*
genita (§. CXLIII.), ſi organa genitalia, vel ra
tione *numeri*, vel *figurae*, vel *magnitudinis*
ſitus ſunt praeternaturaliter conſtituta.

§. CXL

§. CXLV.

Ex numero partium genitalium praeternaturali.

Numerus partium generationi dicatarum, vel propter *exceſſum*, ſi adſunt, quae non deſiderantur & abeſſe debebant, vel propter *defectum*, ſi abſunt, quae deſiderantur & adeſſe debebant, dicitur *praeternaturalis* (§. CXLIV.); ille non niſi a natiuitate, hic autem, ex quacunque etiam cauſſa, vel *externa*, vel *interna*, conſurgit.

§. CXLVI.

Ex numero excedente.

Vitia ex *numero excedente* (§. CXLV.), in ſexu nobiliori ſunt, vel *penis geminatus* a), vel tres, quatuor & quinque *colei* b), quae plerumque ſalacitatis refrenandae praebent indicia c); hinc proprie impotentiae non conſtituunt ſpeciem, niſi propter ſimultaneam vtriusque colis erectionem, atque teſticulorum mutuam colliſionem, cohabitandi actionem vel conturbent, vel prorſus impediant.

a) SINIBALDVS, geneanthr. libr. 3. tr. I. c. 3. p. 257. libr. 2. tr. I. c. 6. p. 105.

b) BLEGNY, Zodiac Gallico ann. 2. m. Febr. Obſ. 2. Interim tamen & frigidi triorchidis exemplum habent A. N. C. Dec. 3. ann. 7. Obſ. 211.

c) SINIBALD. l. c. tr. I. c. 3. p. 257. tr. 2. c. 96. p. 311.

§. CXLVII.

Ex numero deficiente.

Numeri deficientis (CXV.) vitia, ſunt vel *mentulae* d), vel *vnius alteriusue teſticuli* e), vel *totius patrimonii* f) *totalis abſentia*, quam

in

in veram, & *apparenter* talem, comode deſ
guimus.

d) SCHENCKII Obſeru. med. l. 4. GARMANN tit. II. §. 40. FRANCKENAV, p. 112. 113.

e) A. N. C. Dec. I. ann. 2. Obſeru. 236. Dec. 3. an
Obſ. 20.

f) A. N. C. Dec. 2. ann. 5. Obſ. 42. 72.

§. CXLVIII.

Abſentia partium genitalium eſt vel vera, vel apparens.

Abſentia harum partium (§. CXLV *vera* dicitur, ſi extra abdomen neque prop dent, neque alia exiſtentiae actualis exhib veſtigia; hinc vi contrariorum, abſentia *a renter* talis nominatur, dicta organa qua loco ordinario extra abdomen nequidem c ſurgunt, ventre tamen contecta atque abſc dita deprehenduntur. g)

g) Penis vna cum teſticulis abſconditi exemp habent A. N. C. Dec. I. ann. 6. Obſeru. 179. Berolin. Dec. I. Vol. 8. p. 73. A. E. L. ann. 1 menſ. Iul. p. 319.

§. CXLIX.

Impotentia a penis defectu abſoluta conſurgit.

Mentula vnicum & praecipuum illud ſtit inſtrumentum, quo mediante aura ſem lis ad naturae dirigitur aruum, eique in ditur; hinc *vera* eius *abſentia*, perinde a totum patrimonium deficeret, impotent vtramque, *priorem* & *poſteriorem*, etiamſi n nulli defectus huius reparationem ſuadeant tificialem h), abſolute profert.

h) FRANCK. p. 115. 117. 109. AMMANNVS in Ire

§.

§. CL.

Impotentia ex teſticulorum defectu.

Colei, diuerſorium humani generis ce-
lebratiſſimum, quo ſemen maſculinum elabo-
ratur & ſegregatur, de virilitatis praeſentia
manifeſtum praebent teſtimonium i); his ita-
que deficientibus, mentula vero praeſente (§.
CXLIX.), impotentia non *prior*, ſed *poſterior*
(§. CXXXV.), eaque *abſoluta* conſurgit. k)

i) SINIBALD. geneanthr. l. 3. tr. 2. c. 1. p. 287.

k) Monorchides de impotentia non accuſandos eſſe, teſtantur REGNERVS de GRAAF tract. de viror. organ. p. 7. & VALENTINI Nouell. med. leg. caſ. IV.

§. CLI.

Mentula apparenter deficiens.

Mentula *apparenter* deficiens, atque alibi
tantummodo *vbi* habens ſuum (§. CXLVIII.),
ad vterum, humani generis promtuarium,
peruenire, eique foecundum liquorem geni-
talem inſtillare nequit; ideoque perinde ac ſi
plane deficeret (§. CXLIX.), vtramque impo-
tentiam, *priorem*, & *poſteriorem* (§. CXXXV.
CXXXVII.), efficit.

§. CLII.

Penis abſentia apparens impotentiam relatiuam efficit.

Quadoquidem vero hocce organon, ge-
nerationis negotio maxime dicatum (§. CLI.),
rerum ad ſitum ſuum naturalem recedere haud
raro contingit l); ideoque abſentia eius *appa-
rens* (§. XXVII.) non ſemper impotentiam *ab-*

ſolu-

ſolutam, ſed *relatiuam* (§. XV.) tantummo
operatur.

l) Penem, vna cum teſticulis, intra abdominis uum delitefcentem, podice verberato, cum ſex mutatione iterum proſiluiſſe, teſtantur A. N. Dec. 3. ann. 4. Obſeru. 104.

§. CLIII.

Teſtes abſconditi impotentiam haud operantur.

Colei, ſeminis directioni ad foecundu naturae agrum, non perinde ac veretrum i ſeruiunt (§. CXLIX.), ſed ad praeparatione & ſegregationem eiusdem potius faciunt CL.). Parum itaque refert, num in ſcro propendeant, num vero in inguine, vel int abdominis cauum ſint reperiundi (§. CXLVIII modo de actuali illorum exiſtentia dubium n relinquatur, quo caſu, illorum *abſentia* imp tentiam neque *priorem*, neque arguit *poſteri rem* (CXXXV.).

§. CLIV.

Teſticondi a Spadonibus diſcrepant.

Itaque κρυψόρχιδες, ſeu *teſticondi* (CLIII.), a Spadonibus & Eunuchis maxim diſcrepant; immo in Veneris caſtris illos ſtr nuos bellatores ſaepius ſeſe exhibuiſſe, Med corum obſeruata ſatis confirmant. m)

m) A. N. C. Dec. 2. ann. 2. Obſeru. 14. ROLFINC Tract. de Part. genit. P. I. c. 5. SINIBALD. Genea thr. l. 3. tr. 2. c. 2. p. 290.

§. CLV.

Impotentia a penis figura vitiata externa.

Impotentia *prior*, conſequenter etiam *p ſterior* (§. CXXXV.), eaque *abſoluta* (CXXXIX.

CXXXIX.), a cauſſa figurae vitiatae externae (§. CXLIV.) producitur, mentula ſi ita praeternaturaliter eſt incuruata, vt prorſus impediat, aura ſeminalis quo minus ad conceptionis locum traduci queat, ſed extra illum profundatur. n)

n) A. N. C. Dec. 2. ann. 9. Obſeru. 199. TVLPII Obſeru. med. l. 3. c. 39.

§. CLVI.

Magnitudo organorum genitalium proprie impotentiae non conſtituit ſpeciem.

Magnitudo organorum genitalium (§. CXLIV.), quam in *auctam* vel *imminutam* diſtinguimus, inter receptionis & inhaeſionis ſubiectum, certam ſuam habet relationem; hinc, ſcirrhoſam & monſtroſam o) ſi exceperis, proprie impotentiae non conſtituit ſpeciem.

o) A. N. C. Cent. 1. Obſ. 166. p. 337. Dec. 3. ann. 7. Obſ. 26. A. E. L. ann. 1712. menſ. Aug. p. 349. ann. 1720. m. N. p. 515.

§. CLVII.

Praepotentia ſaepe diuortium operatur.

Interim tamen penis magnitudo praeternaturaliter aucta, quam *praepotentiae* nomine ſolent inſignire, ex Iureconſultorum placito, impotentiae ſpeciebus haud raro accenſetur p); hinc proportio inter inhaeſionis & receptionis ſubiectum (CLVI.) ſi maxime inaequalis deprehenditur, iſta vitiata proportio, perinde ac ſi plane deficeret penis, (§. CXLIX.), ſaepe diuortii euadit cauſſa. q)

p) MEERBACH, Diſſ. de Iure diuort. c. IV. theſ. 8 n. 17.
q) STRYCK. in Not. ad BRVNNEMANNI Ius eccleſ. l. 2. c. 17. §. 5. eiusd. Diſſert. de Iure ſenſuum c. I. theſ. 55.

§. CLVIII.

Teſtium magnitudo generandi potentiam non impedit.

Teſticuli, ſuffragio Medicorum communi, repertorium illud, quo ſeminis elaboratio & ſegregatio contingit (§. CL.), conſtituunt. Quo itaque maior illorum deprehenditur capacitas, eo quoque maiorem ſeminis quantitatem ibidem ſegregari & comparari, merito ſuſpicamur. Quo maiori vero quantitate liquor genitalis praeſto eſt, eo quoque maior exinde generandi potentia reſultat. r)

r) Teſticulornm capacitatem maiorem, libidinis aeſtum haud parum adaugere, teſtatur SINIBALDVS, Geneanthr. l. 2. tr. 2. c. 9. p. 151.

§. CLIX.

Seminis aggregatio intra teſtium ſubſtantiam non contingit.

Hinc vi contrariorum (§. CLVIII.), teſtium magnitudinem iuſto minorem, impotentiae *poſterioris* (§. CXXXV.) ſaepe exiſtere cauſſam, inferri poterit. Quoniam vero ſeminis maſſa, quantitate licet minori, veſiculis ſeminalibus pedetentim inſtillatur, ibidemque ad molem plus duplo maiorem, praegnationi ſufficientem, aggregatur & conſeruatur; hinc a teſtium magnitudine imminuta, ad generandi & foecundandi impotentiam non valet conſequentia.

§. CLX

§. CLX.

Impotentia ex vaſorum capacitate praeternaturali.

Iſtis impotentiae ſpeciebus (§. CLV-CLIX.) adhuc aliae, a vaſorum *magnitudine* ſeu *capacitate praeternaturali* conſurgentes, erunt adnumerandae.

§. CLXI.

Vaſorum capacitas duplex deprehenditur.

Capacitas vaſorum (§. CLXI.) vel *juſto major*, vel *juſto minor*, deprehenditur; hanc *coarctationem*, illam *dilatationem* nuncupamus.

§. CLXII.

Impotentia ex culpa dilatationis.

Generandi impotentia ex culpa *dilatationis* (§. CLXI.) oritur, vbi ſemen vel per vrethram, ad radicem vsque hiantem [s]), vel cum duplici foramine donatam [t]), quidem effunditur, tamen ad conceptionis locum non dirigitur.

s) A. N. C. Cent. 9. pag. 161.
t) BORELLVS, Cent. 4. Obſeru. 13.

§. CLXIII.

Ex coarctationis vitio.

Coarctationis vero praeternaturalis vitio (CLXII.), ſeminis ad vterum directio conturbatur, atque hinc inde poſterior, ſeu foecundandi impotentia (§. CXXXV.), producitur, penis ſi vel plane imperforatus [u]), vel loco inſolito [x]), vel non recte perforatus [y]) deprehenditur.

u) WIEL, Obſeru. rar. Cent. I. Obſeru. 26. A. N. C. Dec. 2. ann. 10. Obſeru. 75. HAGEDORN, Cent. 3. hiſt. 68. p. 364.

x) A. N. C. Dec. I. ann. 10 Obſeru. 105.
y) A. E. L. ann. 1720. menſ. Nou. pag. 515.

§. CLXIV.

Impotentia ex vtroque, coarctationis et dilatationis, vitio.

Vtraque iſta conſtitutio praeternaturalis (§. CLXII – CLXIII.) ſi congenita atque medentis eludit opem, *impotentia* exinde reſultans tunc euadit *abſoluta* (§. CXXXIX).

§. CLXV.

Impotentia ex poſitura vitiata.

Organa virorum genitalia, ratione *ſitus* praeternaturaliter ſunt conſtituta (§. CXLIV.), ſi partes, quae extra corpus haerere debebant, vel intra illud ſunt abſconditae, vel ſi partes, quae abdomine contectae eſſe debebant, extra illud veniunt in conſpectum; hoc vitium *prolapſus*, illud *retractio* audit.

§. CLXVI.

Impotentia ex prolapſus vitio.

Ex vitio *prolapſus* (§. CLXV.), generandi potentia abſolute infringitur, vaſa ſeminalia ſi vel propria mole nimis elongantur z), vel inteſtinorum in ſcrotum delapſorum grauitate a) ita tenduntur & comprimuntur, vt coalitum adſumere cogantur; quam impotentiae ſpeciem, ex harum partium duritie, ipſiusque geniturae defectu certiſſime cognoſcimus.

z) Teſtes pendulos generandi aptitudinem impedire, teſtatur SINIBALDVS, in Geneanthr. l. 3. c. 2. p. 290.
a) ALBERTI, Iur. prud. med. Part. I. p. 43. §. 28. A. E. L. ann. 1726. menſ. Iun. 286.

§. CLXVII.

§. CLXVII.

Ex retractus vitio.

Impotentia ex vitio *retractus* (§. CLXV.) dicitur, vbi penis vel teſticuli, ex quacunque cauſſa retracti, & abdomine deprehenduntur contecti (§. CXLVIII—CLIV.).

§. CLXVIII.

Generatio in foeminis.

Generationis actus (§. CXXVII.) in ſexu ſequiori triplici abſoluitur modo, *cohabitatione* nimirum cum viro, *conceptione*, *foetusque* in vtero *nutritione*.

§. CLXIX.

Generationis diuiſio.

Quicquid igitur vel *cohabitationem* foeminae cum mare, vel *conceptionem*, vel *foetus* in vtero *incrementum* (§. CLXVIII.) impedit, illud impotentiam profert vel *congenitam*, vel *aſcititiam* (§. CXXXVIII.), illamque vel *abſolutam*, vel *relatiuam* (§. CXXXIX.).

§. CLXX.

Partes genitales ipſae ſunt impotentiae cauſſa.

Partes vero ipſae, generationi inſeruientes, praeternaturaliter conſtitutae, ſunt cauſſa mediata proximior, qua potentia exercendi iſtas actiones, ſequiori ſexui proprias (§. CLXVIII.), vel *abſolute*, vel *relatiue* (§. CXXXIX.) conturbatur & prohibetur.

§. CLXXI.

Partium genitalium diſtinctio.

Sequioris ſexus partes genitales (§. CLXX.)

 Medi-

Medici in *internas* & *externas* diſtinguunt; hae magis cohabitationi, illae vel *conceptioni*, vel *foetus* in vtero nutritioni inſeruiunt.

§. CLXXII.

Conſtitutio harum partium praeternaturalis.

Conſtitutio ergo praeternaturalis (§. CLXX.) haeret vel in partibus *externis*, vel *internis*, vel in *vtrisque* ſimul (§. CLXXI.).

§. CLXXIII.

Quid ſit conſtitutio praeternaturalis?

Vtrarumque harum partium (§. CLXXI.) conſtitutio dicitur praeternaturalis (§. CLXXII.), ſi vel *numerum*, vel *magnitudinem* & ſitum non exhibent decentem (§. CXLIV.).

§. CLXXIV.

Vitia ex numero excedente.

Numerus partium genitalium externarum praeternaturalis (§. CLXXIII.), eſt vel *excedens*, vel *deficiens*. Vitia ex numero excedente, ſunt *cencha geminata* b), quae perinde, ac in ſexu nobiliori mentula duplicata (§. XXII.), proprie cohabitandi impotentiae non conſtituit ſpeciem.

b) A. N. C. Dec. 1. ann. 7. Obſeru. 228. Dec. 3. ann. 7. Obſ. 35. Cent. 9. p. 168. BORELLI. Cent. 2. Obſ. 83. IVL. OBSEQV. de Prodig. c. 113. p. 107.

§. CLXXV.

Ex numero deficiente.

Vitia numeri deficientis (§. CLXXIV.) ſunt *conchae* defectus c), qui aditum ad vaginam, atque ipſam conceptionis officinam praecludendo, pariter ac totalis vteri abſentia, vtramque

que cohabitandi & concipiendi potentiam praeuertit.

c) REIES quaeſt. 48. pag. 591. 592.

§. CLXXVI.

Ex magnitudine aucta.

Partium genitalium externarum (§. CLXXI.) magnitudo praeternaturalis (§. CLXXIII.), vel *aucta* deprehenditur, vel *imminuta* (§. CLVI.). Vitia magnitudinis auctae ſunt, vel conchae capacitas plus juſto major, vel clitoridis nimia elongatio; illa ad ſubjectum inhaeſionis ſuam habet relationem (§. CLVI.); hinc praeter hoc, quod voluptatum illecebras modo augeat, modo imminuat, immo correctionem artificialem frequenter admittat d), cohabitandi impotentiae haud quaquam refert ſpeciem; haec vero ad tantam ſaepius accreſcit molem e), atque indureſcit f), vt hac ſua rigiditate maris acceſſum penitus abarceat.

d) PHIL. HOECHSTETTERVS, Obſeru. med. Dec. III. caſ. 5. p. 136.

e) REGNERVS de GRAAF, l. 2. fol. 188. RIOLANVS in Anthropograph. l. 2. c. 35. fol. 188.

f) THOM. BARTHOLIN. Hiſt. anat. Cent. 3. hiſt. 69. p. 137. ej. Epiſt. med. Cent. 3. epiſt. 94. p. 407.

§. CLXXVII.

Impotentia ex interfoeminei ruptura.

Iſta denique conchae capacitas nimis ampla, ſiue congenita g), ſiue ex cauſſis accidentalibus ſit producta h), quae interfoeminei rupturam habet coniunctam, propter ſaecum inteſtinalium in vaginam ingreſſum, harumque

per dicta loca eiaculationem involuntariam, cohabitandi potentiam maxime conturbat.

g) A. N. C. Dec. II. ann. 10. Obſeru. 159. p. 249. DAN. SENNERT. Pract. med. lib. 10. part. 1. ſect. 1. c. 1. p. 7.

h) THOM. BARTHOLINVS Hiſt. anat. Cent. 2. hiſt. 63. p. 248. IOANN. R. SALZMANN, Obſeru. anat. p. 16. FRID. RVYSCHIVS Obſeru. 59. p. 76.

§. CLXXVIII.

Conchae capacitas iuſto minor.

Partes externae, ex culpa *magnitudinis* ſeu *capacitatis* iuſto *minoris* (§. CLXXVI.), praeternaturaliter ſunt conſtitutae, oſtium vteri exterius ſi nimis *arctum*, vel penitus *clauſum* deprehenditur.

§. CLXXIX.

Imperforatio et coarctatio impotentiam abſolutam non inferunt.

Vtrumque illud vitium (§. CLXXVIII.), impotentiam cohabitandi abſolutam inferendi haud ſufficit; quippe hae partes, propter continuam, a varia colluuie iſtorſum fiente, irrorationem, vel propria ſua ſponte dilatantur iterum i), vel manu etiam chirurgica poſſunt emendari. k)

i) A. E. L. ann. 1716. menſ. Mart. p. 99. A. N. C. Dec. 2. ann. 1. app. p. 160.

k) A. E. L. ann. 1695. menſ. Ianuar. p. 42. SINIBALDVS, Geneanthr. l. 4. tr. 1. c. 12. p. 441. A. N. C. Dec. 1. ann. 3. Cent. 5. p. 327.

§. CLXXX.

Imperforationis medela periculo non vacat omni.

Probe tamen erit perpendendum, pudendi intercapedo (§. CLXXVII.) num ſolo tenui membra-

noſo tegmine velata [l]), num craſſa potius carnoſa mole [m]), ſtruma [n]), vel quacunque alia cauſſa [o]) fuerit obſerata, numque haec clauſura in pudendi parte exteriori, vel profunda ſit reperiunda; quo caſu, neque dilatationem expectando ſpontaneam, neque etiam ſecando (§. CLXXXI.), flagrantibus tuto feruntur ſuppetiae; potius miſerandae mulierculae, ex admiſſa ſectione, cruentationis, inflammationis, exulcerationis deleteriae haud raro ſubeunt periculum. [p])

l) PAVL. ZACCH. Quaeſt. med. legal. l. 3. tit. 1. qu. 7. n. 23. f. 282.

m) PETR. FOREST. Obſeru. l. 28. Obſ. 55. fol. 707.

n) M. N. C. Dec 2. ann. 3. Obſ. 151. pag. 296.

o) SCHENCK. Obſ. l. 4. p. 544. ann. 6. app. 10. TVLPIVS Obſ. l. 3. c. 33. p. 249.

p) FRANC. MAVRICEAV, dans les Obſ. ſur la Groſſeſſe Obſ. 174. p. 97.

§. CLXXXI.

Illud periculum non eſt celandum.

Ideoque metuendum illud vitae diſcrimen (§. CLXXX.) artifex reticere non debet, ſed operationem manualem efflagitantibus, ingenue confiteri tenetur; ne videlicet mali huius pertaeſae, propria ſua inſcitia proſtratae corruant. Quo vero plenius perſpecto, euentum reformidantes ancipitem, ſi auxilia chirurgica recuſauerint, atque ſpes futurae ſanationis nulla affulgeat alia, cohabitandi impotentia, ipſa hac mulierum renitentia, prorſus *abſoluta*, hinc ex mente Iuriſconſultorum iuſta diuortii euadit cauſſa. [q])

q) SANCHEZ, de Matr. l. 7. diſſert. 92. 93. BRVNNEMANN de Iure eccl. lib. 2. c. 17. §. 7.

§. CLXXXII.

Impotentia ex ſitu vitiato partium externarum.

Situs partium externarum vitiatus (§. CLXXIII.), internarum quoque conſtitutionem arguit deprauatam; hinc fiſſus non decenti loco reperiundus [r]), potentiam ad *actum* ſi non prorſus excludit, tamen ad *effectum* facultati omnimode repugnat.

r) A. N. C. Dec. 3. ann. 4. Obſ. 112. p. 233.

§. CLXXXIII.

Impotentia cohabitandi, ſimul impedit concipiendi potentiam.

Cauſſae cohabitationi cum viro obſiſtentes (§. CLXXIV — CXXXII.), ſimulac *conceptionem*, conſequenter & *foetus* incrementum (§. CLXVIII — CLXIX.) praeuertunt; vi contrariorum vero, quicquid conceptionem, foetusque in vtero nutritionem prohibet, illud ſimul cohabitandi impotentiam haudquaquam ſolet proferre.

§. CLXXXIV.

Conceptio quid ſit?

Conceptionis nomine (§. CLXXXIII.), actionem intelligimus mulieri propriam, qua foecundum ſemen virile, ad naturae aruum proiectum, per tubam Fallopianam ab ouulo ſuſcipitur, vt exinde homo conſurgat nouus alius.

§. CLXXXV.

§. CLXXXV.

Impotentia concipiendi ſenſibus haud patet.

Impotentia *concipiendi* (§. CLXXXIV.), ſiue ſit *congenita*, ſiue *aſcititia*, ſigna exhibet raro admodum ſenſibus perceptibilia; propterea non haec, ſed illa *cohabitandi* impotentia (§. CLXXIV – CLXXXII.), lecti vincula ſocialia plerumque reſcindit. s)

s) BRVNNEMANN. in Iurisprud. eccleſiaſt. lib. 2. c. 17. CARPZOV, in Iurispr. conſiſt. l. 2. tit. 9. def. 200.

§. CLXXXVI.

Conceptionis impedimenta.

Conceptionis actus (§. CLXXXIV.), vel ropter vteri *totalem abſentiam*, vel propter eiuslem *conſtitutionem praeternaturalem*, conturbaur & prohibetur.

§. CLXXXVII.

Impotentia concipiendi ex vteri defectu.

Vterus deficit (§. CLXXXVI.), vel a *natiitate* t) vel *ex cauſſis variis accidentalibus* u); casu priori, proter plenam impoſſibilitatem d generationis actum, matrimonium iterum iſſoluitur x); in caſu vero poſteriori, poſt inim obligationem pactitiam, a partu difficili, el quacunque alia cauſſa morbifica, vteri deſctus ſi fuerit accerſitus, matrimonium haud que dirimitur. y)

t) FRANCKENAV, p. 42. 43. 117.

u) PLATERVS, Obſ. l. 3. pag. 559. ZACVT. LVSIT. Pr. adm. L. 2. Obſeru. 85. A. N. C. Dec. 2. ann. 9. Obſ. 94.

x) CRPZOVIVS, in Iurispr. Conſiſt. lib. 2.

y) Per Text. Iur. Can. in C. quod autem interrog XXXIII. quaeſt. 1. c. accep. l. c. ex litter. tuis 3. frat. 6. X. de frigid.

§. CLXXXVIII.

Vteri conſtitutio praeternaturalis.

Vteri conſtitutio (§. CLXXXVI.), vel *n meri*, vel *magnitudinis* & *ſitus*, vel *qualitatis m tatae* intuitu, praeternaturalis deprehenditu

§. CLXXXIX.

Ex numero deficiente.

Numerus (§. CLXXXVIII.) eſt vel *def ens*, vel *excedens.* Vitia numeri deficient ſunt vel totius vteri (§. CLXXXVI-CLXXXVI vel tubae Fallopianae [z]) atque vnius alterius ouarii abſentia tantum. [a])

z) REGNERVS, de GRAAF, de mul. org. c. 14.
a) IOB. a MEEKREN, Obſ. c. 52. p. 235. A. N. Dec. II. ann. 6. Obſ. 24. p. 91.

§. CXC.

Impotentia ex vaginae defectu.

Inferior vteri pars, vaginae nomine inf nita, haſtam virilem, congreſſus tempore, va nae ad inſtar excipiens, inſimul cohabitati inſeruit; hinc toto vtero abſente (§.CLXXXI eius quoque pars deficit infera; hac denic abſente, vterque etiam cohabitationis & c ceptionis actus intercipitur.

§. CXCI.

Impotentia ex huius partis defectu diuortium operatur.

Quoniam vero harum partium (§. CX defectus facile admodum pateſcit ſenſibus, que de impotentia ad *effectum*, dubium re

C

quit prorſus nullum; perinde itaque, ac ſi vteri oſtium totum exterius deficeret, foederis connubialis reſciſſionem operatur.

§. CXCII.

Vitia ex numero excedente.

Vitia numeri *excedentis* (§. CLXXXIX.), ſunt vel ſola *vagina geminata* b), vel totus *vterus duplicatus* c), quae vtrumque *cohabitandi* & *concipiendi* actum proprie non conturbant.

b) THOM. BARTHOLINVS, epiſt. med. cent. 3. epiſt. 2. pag. 10.

c) THEOPH. BONETVS, med. ſeptentr. part. 2. l. 4. obſ. 2. fol. 6.

§. CXCIII.

Praepotentia in foeminis.

Quemadmodum vero mulieres, iſta partium conformatione praeternaturali (§. CXCII.) laborantes, plerumque polyſpermae deprehenduntur, atque exempla proſtant haud pauca, quod partus procerrimos ſint enixae d); hinc eiusmodi vitia, perinde ac in viris, tres, quatuor vel quinque colei (§. CXLVI.), *praepotentiae* potius conſtituunt ſpeciem.

d) A. N. C. Dec. 2. ann. 2. pag. 475. THOM. BARTHOLINVS, anat. lib. l. 1. c. 30. p. 281.

§. CXCIV.

Partium internarum conſtitutio praeternaturalis.

Partes mulierum genitales internae, ſicut intuitu *numeri* ſaepe praeternaturaliter ſunt conſtitutae (§. CLXXXIX — CXCIII.), ita etiam earundem *magnitudo* ſiue *capacitas*, a ſtatu naturali haud raro ſolet recedere (§. CLXXXVIII.).

§. CXCV.

§. CXCV.

Magnitudo duplex deprehenditur.

Partium genitalium *capacitas* (§. CXCIV. in praeternaturalem conuertitur, ſi vel iuſto *minor*, vel iuſto *maior* deprehenditur; illam *coarctationem*, hanc *dilatationem* vocant Medic (§. CLXI.).

§. CXCVI.

Impotentia ex magnitudine imminuta.

Vitia coarctationis (§. CXCV.), ſunt ve *vaginae* e), vel totius *vteri* f), vel tubarum Fallopianarum *concretio* g); illa vtramque *cohabitandi* & *concipiendi*, haec autem, ſolam *concipiendi* potentiam praeuertit; ideoque non haec ſed illa, ſenſibus quippe magis patescens (§ CLXXXV.), matrimonium poteſt diſſoluere.

e) A. N. C. dec. 3. ann. 5. & 6. obſ. 93. p. 178. 181. cent 9. p. 430. THOM BARTHOLINVS, C. 2. hiſt. 31. PLATERVS, obſ. l. 3. obſ. 563.

f) THVANVS, L. 104. tom. 2. p. 1118. HILDANVS, Cent. 3. obſeru. 60.

g) FRID. RVYSCHIVS, obſ. anat. chir. 83. p. 108.

§. CXCVII.

Impotentia ex magnitudine aucta.

Aliquando etiam ipſa vteri capacitas plus iuſto *maior* (§. CXCV.), concipiendi potentiae haud parum obſiſtit. In magnitudinem vero praeternaturalem totus vterus, vna cum ſuis ouariis, ſiue per *indurationem* ſcirrhoſam h), ſiue per *carnoſam* i), *ſteatomatoſam* k), & *hydaticam* ipſius *excreſcentiam* l), ſiue etiam per *rupturam* m), dilatatus & explicatus haud eluctabile concipiendi impedimentum exhibet.

h) A.

h) A. N. C. Dec. I. ann. 10. obſ. 126. NICOL. BLEGNY, Zodiac. med. Gall. ann. 2. menſ. Iul. obſ 5. p. 144.
i) GVIL. FABR. HILDANVS, oper. cent. V. obſ. 49. pag. 436. cent. I. obſ. 65. 67.
k) RHODIVS, cent. 3. obſ. 46.
l) A. N. C. Dec. 3. ann. 7. obſ. 103. p. 167.
m) SALMVTHVS, cent. I. obſ. 16. A. N. C. Dec. 2. ann. 9.

§. CXCVIII.

Partium genitalium praeternaturalis conſtitutio ratione ſitus.

Partium internarum genitalium ſitus (§. CLXXXVIII.) in praeternaturalem conuertitur, ſi vel *tota* vteri *vagina* n), vel ſola huius *tunica rugoſa* o), ſiue etiam *totus vterus* p), ſedem derelinquit natiuam, atque extra abdominis cauitatem prodit in conſpectum, quod vitium Medici *prolapſus* nomine inſignire conſueſcunt.

n) A. N. C. Cent. 7. p. 372.
o) A. N. C. Cent. 7. p. 450.
p) ZACVT. LVSITANVS, M. P. H. L. 3 hiſt. 6. p. 464. M. DONATVS. L. 7. c. 10. M. N. C. Cent. I. Obſ. 139. ann. 2. Obſ. 121. Cent. I. Obſeru. 193.

§. CXCIX.

Situs mutatio in illapſum et prolapſum diſtinguitur.

Quandoquidem vero partes dictae (§. CXCVIII.) non ſemper extra abdomen foras propendent, ſed vagina, huiusque tunica rugoſa, in ſinum pudoris interdum modo deſcendit, atque vterus iterum in vaginam modo labitur; hinc illarum procidentiam in *illapſum* et *prolapſum* commode diſtinguimus.

§. CC.

Vtrumque vitium cauſſas cognoſcit diuerſas.

Illapſus (§. CXCIX.), a ſola vteri ligamen-

torum

torum tenſione impetuoſa, horumque robo
proficiſcitur deficiente; *prolapſus* vero, plen
riam horum ligamentorum rupturam pro ſ
agnoſcit cauſſa.

§. CCI.

Ligamentorum vteri ruptura commercium inter ouarium atque vterum tollitur.

Hiſce igitur vteri ligamentis disruptis
CC.), etiam commercium inter vtrumque, v
rum & ouarium, tollitur; hoc denique ſub
to, aurae ſeminali ad ouarium, atque ouu
viciſſim aditus ad vterum praecluditur.

§. CCII.

Ex prolapſus vitio impotentia abſoluta conſurgit.

Illapſus, auxiliis adſtrictoriis, atque p
ſulis, varium in modum adhibitis, facile i
rum corrigitur; *prolapſus*, praeter totalem vt
ablationem q), plerumque medentis oper
reſpuit omnem; ergo non *illabentibus*, ſed *p
labentibus* partibus genitalibus internis
CXCIX—CCI.), concipiendi potentia abſol
infringitur.

q) PLATERVS, Obſeru I. p. 559. A. N. C. De
ann. 5. Obſ. 150. ann. 9 Obſ. 94. ZACVT. LV
TANVS, M. P. l. 3. H. 6. p. 464.

§. CCIII.

Vteri contorſio conceptionem impedit.

Praeter iſtam partium deceſſionem
CXCIX.), vterus, reclinando ad alterutr
abdominis latus r), ſitum ſuum naturalem
riter derelinquere cogitur; qua poſitura viti
vteri oſtium interius ſi ſimul contorquetur,

ra ſeminalis ad cavum uteri, conſequenter per tubas Fallopianas ad ouarium peruenire, atque hinc inde conceptionis actus ſuccedere nequit.

r) FR. RVYSCHIVS, Obſ. anatom. chirurg. Obſ. 88. p. 112.

§. CCIV.

Impotentia ex qualitate mutata.

Qualitatis vero intuitu (§. CLXXXVIII.), vteri conſtitutio in praeternaturalem commutatur, ſi plane aliam, eamque vel *ſcirrhoſam* s), *ſpongioſam* t), *cartilaginoſam* u), vel *lapideam* x) refert ſubſtantiam.

s) AMBR. PARAEVS, L. 23. c. 36. p. 524.
t) M. N. C. Dec. 2. ann. 6. Obſ. 34. p 91.
u) RIOLANVS, Anthropogr. l. 2. c. 35. p. 197.
x) GEORG. HORSTIVS, Oper. tom. II. lib. 11. Obſeru. 2. p. 522. SCHENCKIVS, Obſ. med. l. 4. p. 608.

§. CCV.

Impotentia foetum enutriendi.

Denique partes ad cohabitandum & concipiendum neceſſariae (§. CLXX—CCIV.), etiamſi praeſentes, eaeque naturaliter conſtitutae ſint omnes; aliunde tamen, oſſium imprimis innominatorum, ſiue a quacunque alia violentia externa, nimium facta interiora verſus contorſione, debitam foetus extenſionem auerruncando, illud generationis negotium in foeminis (§. CLXXXVIII.) haud etiam parum conturbatur.

§. CCVI.

Impotentia ex vtriusque ſexus culpa.

Inſuper etiam generandi impotentia congenita (§. CXXXVIII.), vtriusque *maris* atque *foeminae*

larum ſint plane diuerſa, ſeſe debet accingere c)
immo ad ſeruandam hanc fidem, iuramento
eſt obſtringendus. d)

c) CARPZOVIVS, in iurispr. Conſiſt. l. 2. def. 16
STRYK, de Iure ſenſ. diſput. I. c. I. thes 62.

§. CCXII.

Hermaphroditi baptismus.

Denique ſi de eiusmodi hominis, vtroque ſexu aequaliter pollentis (§. CCIX.), ſacra baptismatis vnda quaeſtio occurrit, ſexus nobilior ignobiliori merito erit praeferendus. e)

e) MOLLERVS, de hermaphrod. c. 5.

§. CCXIII.

In ſponſi electione, hermaphrodito ad ſexum praeualentem reſpiciendum.

Perinde *ſexu* vtroque *inaequali* praedito (§. CCVIII.) proprie impotentis non competit nomen; hinc etiam ad ſacra coniugalia, modo de alterutrius ſexus perfectione ſigna praeſto ſint manifeſta, pleno iure eſt admittendus f); quo vero caſu, ſponſi *electio* (§. CCXI.) neque a Iudicis, neque ab hermaphroditi pendet arbitrio, ſed ad ſexum praeualentem erit reſpiciendum, g)

f) BRVNNEMANNVS, Iurisprud. eccleſ. l. 2. c. 17. p. 660.
g) STRVVIVS, ſyntagm. iur. ciuil. exercit. 3.

§. CCXIV.

Vtriusque ſexus diſtinctione deficiente, matrimonium non permittitur.

Sexus vero vtriusque diſtinctio & perfectio quibus deficit, illi ad generationis negotium inhabiles ſunt pronunciandi; ideoque iti-
dem

dem iſtis ſpes foederis coniugalis, niſi leges, propter alterum matrimonii finem, mutuum vitae ſubſidium, illud ſpeciatim permittant, merito praecluditur. h)

h) CARPZOV. Iurisprud. conſiſt. l. 2. tit. I. def. 13. n. 16.

§. CCXV.

Aetas legitima ad generandum requiritur.

Inſuper etiam certum quoddam vitae ſtadium, quo homo, poſt natiuitatem, debitam corporis ſui euolutionem eſt conſequutus (§. CXXV.), ad ſobolis procreationem requiritur, quo deficiente, vtriusque ſexus homo ad coniugium naturaliter inhabilis aeſtimatur (§. LXXXII.).

§. CCXVI.

Aetas quaenam ſit legitima?

Iſta vitae periodus, qua maſculus ſemen prolificum effundere, foemella vero illud vtiliter poteſt recipere, ad lecti conſortium iudicatur idonea.

§. CCXVII.

Signa aetatis legitimae.

Seminis praeſentiam in maſculis (§. CCXVI.) ex vocis mutatione, & pilorum in pudendis proruptione, inprimis coniecturamus; num foemella vero ſemen idem illud receptum valeat perferre (§. CCXVI.), ex eadem pilorum excreſcentia, atque menſium profluvio, ſaepe ſaepius cognoſcimus (§. CX.).

larum ſint plane diuerſa, ſeſe debet accingere c); immo ad ſeruandam hanc fidem, iuramento eſt obſtringendus. d)

c) CARPZOVIVS, in iurispr. Conſiſt. l. 2. def. 16. STRYK, de Iure ſenſ. diſput. I. c. 1. thes 62.

§. CCXII.

Hermaphroditi baptismus.

Denique ſi de eiusmodi hominis, vtroque ſexu aequaliter pollentis (§. CCIX.), ſacra baptismatis vnda quaeſtio occurrit, ſexus nobilior; ignobiliori merito erit praeferendus. e)

e) MOLLERVS, de hermaphrod. c. 5.

§. CCXIII.

In ſponſi electione, hermaphrodito ad ſexum praeualentem reſpiciendum.

Perinde *ſexu* vtroque *inaequali* praedito (§. CCVIII.) proprie impotentis non competit nomen; hinc etiam ad ſacra coniugalia, modo de alterutrius ſexus perfectione ſigna praeſto ſint manifeſta, pleno iure eſt admittendus f); quo vero caſu, ſponſi *electio* (§. CCXI.) neque a Iudicis, neque ab hermaphroditi pendet arbitrio, ſed ad ſexum praeualentem erit reſpiciendum, g)

f) BRVNNEMANNVS, Iurisprud. eccleſ. l. 2. c. 17. p. 660.

g) STRVVIVS, ſyntagm. iur. ciuil. exercit. 3.

§. CCXIV.

Vtriusque ſexus diſtinctione deficiente, matrimonium non permittitur.

Sexus vero vtriusque diſtinctio & perfectio quibus deficit, illi ad generationis negotium inhabiles ſunt pronunciandi; ideoque itidem

dem iſtis ſpes foederis coniugalis, niſi leges, propter alterum matrimonii finem, mutuum vitae ſubſidium, illud ſpeciatim permittant, merito praecluditur. h)

h) CARPZOV. Iurisprud. conſiſt. l. 2. tit. I. def. 13. n. 16.

§. CCXV.

Aetas legitima ad generandum requiritur.

Inſuper etiam certum quoddam vitae ſtadium, quo homo, poſt natiuitatem, debitam corporis ſui euolutionem eſt conſequutus (§. CXXV.), ad ſobolis procreationem requiritur, quo deficiente, vtriusque ſexus homo ad coniugium naturaliter inhabilis aeſtimatur (§. LXXXII.).

§. CCXVI.

Aetas quaenam ſit legitima?

Iſta vitae periodus, qua maſculus ſemen prolificum effundere, foemella vero illud vtiliter poteſt recipere, ad lecti conſortium iudicatur idonea.

§. CCXVII.

Signa aetatis legitimae.

Seminis praeſentiam in maſculis (§. CCXVI.) ex vocis mutatione, & pilorum in pudendis proruptione, inprimis coniecturamus; cum foemella vero ſemen idem illud receptum valeat perferre (§. CCXVI.), ex eadem pilorum accreſcentia, atque menſium profluvio, ſaepe ſaepius cognoſcimus (§. CX.).

§. CCXVIII.

Pubertatis tempus Iuriſconſulti definiunt.

Vitae periodus, qua ſigna aetatis legitim (§. CCXVII.) ſeſe dant in apricum, *pubertat* dicitur *tempus*, quod Iuriſconſulti in maſcul ab anno decimo quarto inchoant, (§. CVII atque potentiam iſtam ſemen energeticum i fundendi, aetate finiunt decrepita; in foemel vero, ab anno duodecimo incipiunt, anno d nique quinquageſimo (§. CVIII.), quo debitu lunare ſoluere deſinunt, concludunt i)

i) HOSTIENSIS de Puber. deſponſ. lib. IV. n. 5. & ALBERTI Iurispr. med. P. I. c. I. §. 3.

§. CCXIX.

Signa pubertatis fallere conſueſcunt.

Pubertatis ſigna (§. CCXVIII.) haud ra conſueſcunt fallere, & in vno indiuiduo citi in altero tardius ſeſe palam oſtendunt; id praeter annorum conputationem (§. CCXVII ad animi atque corporis vires, indices hab tatis ad coniugium principes, maxime erit ſpiciendum (§. XCIX—CI.).

§. CCXX.

Impotentia ex frigiditate naturali.

Haud ſecus ad coniugium inhabiles ae mantur, quorum temperamentum naturale gidum exiſtit (§. CCVI.). *Frigiditas* in maſ lis, propter ſtimulum venereum, atque c erectionem deficientem, perinde ac ſi ipſa m tula deficeret (§. CXLIX.), impotentiam p fert *abſolutam*; hinc ab altera parte celata,

expe

expectationem per triennium inanem, iuſta diuortii euadit cauſſa. [k])

k) Iuxta text. iuris can. c. litter. veſtr. 7. X. de frig. ZACCHIAS, quaeſt. med. leg. tom. I. l. 3. tit. I. quaeſt. 3. & 5.

§. CCXXI.

Frigiditas in foeminis impotentiam cauſari non ſolet.

Mulieres frigidae ſomnolentis ſunt aequiparandae; quatenus vero has praegnari per experientiam conſtat [l]), eatenus & illas ſemen vtiliter recipere, ſumus conuicti. [m])

l) FABRIC. ab AQVAPENDENTE, lib. I. oper. chirurg. § IV. A. E. L. ann. 1715. menſ. Mart. p. 22. menſ. Oct. p. 62.

m) I. F. ZITTMANN, med. forenſ. cent. V. caſ. 21. p. 1156. ALBERTI Iurispr med. P. I. c. 2. p. 505.

§. CCXXII.

Impotentiae accerſitae diuiſio.

Impotentia *accerſita* (§. CXXXVIII.), in *arbitrariam* & *inuoluntariam* diſtinguitur. Impotentia *arbitraria*, vel in *matrimonio*, vel extra *illud*, contrahitur.

§. CCXXIII.

Voluntaria impotentia, vel maris, vel foeminae culpa efficitur.

Accerſita impotentia, in matrimonio (§. CCXXII.), ad impediendam ſobolis procreationem, vel ex culpa maris, vel ex culpa foeminae, data opera producitur.

§. CCXXIV.

Impotentia intra matrimonium producta.

Ex parte maris, generationis negotium in matrimonio de induſtria praeuertitur (§.

 CCXXIII.

CCXXIII.), ante congreſſum, per *teſtium lig-* *turam* n), tempore cohabitationis, deteſtabi *crimine Onanitico* o); ex parte vero foemina vel derepente poſt cohabitationem, pro aue tenda ſeminis receptione, per *pandiculationem* *ſaltationem*, *cachinnum*, *ſternutationem* p), *m-* *ctionem* q), & quamcunque *violentam* corpor *concusſionem*; vel iam facta conceptione, pe nefandam abortus *promotionem*, prohibetur ſummouetur.

n) RIEDLINI Lin. med. ann. 3. menſ. Febr. Ob 14. n 105

o) ALBERTI, Iurispr. med. P. I. p. 36. SIMOA, c. c. 2. th. 5. n. 13.

p) SINIBALDVS, Geneanthr. l. 10. tr. 3. c. 2. p. 84

q) SIMON, l. c. c. 2. theſ. 5. n. 21. A. N. C. Cent. p. 377.

§. CCXXV.

Impotentia in matrimonio contracta diuortium cauſſatur.

Impotentia arbitraria, in matrimonio ac ceſita (§. CCXXIV.), *temporaria* & relatiua qui dem deprehenditur; quatenus vero maxim damnoſa, atque legibus eſt prohibita r), idcir co non per ſe, ſed per *conſequentiam*, matri monii reſciſſionem operatur. s)

r) ALBERTI Iurispr. med. P. I. p. 36. Suppl. p. 405 406 SIMON l. c. c. 3. th. 2. n. 1.

s) MEERBACH, in diſſert. inaug. de Iure diuort c. 4. th. 5. n. 12. l. 5. §. 1. ff. de bon. damnat. l. 1. c de repud.

§. CCXXVI.

Impotentia arbitraria extra matrimonium.

Extra matrimonium, impotentia *arbitra-* *ri*

ria (§. CCXXII.), pro ſcopo multiplici, in vtrisque, *maſculis* & *foemellis*, variis producitur modis.

§. CCXXVII.

Voluntaria impotentia in maſculis.

Impotentia *voluntaria*, extra matrimonium, in maribus (§. CCXXVI.), contra varios morbos rebelles, maniam, herniam & lepram, per *teſtium* priuationem t); lucri cauſa, vel propter cultus diuini exercitium, per *ſaturnina medicamenta*, & *cicutae hauſtum* u); vel per *praeputii infibulationem*, quae cum Perſarum Clericis, Venerem abiurantibus, ſuscipitur x); ad vitandum adulterium, vel per *teſtium* plenariam *extirpationem*, vel per ſolam eorundem *conquaſſationem* y), vel per *totius mentulae* abſciſſionem perficitur, qui caſtrandi modus, Turcarum Reginis a cubiculis inſeruientibus, imprimis ſolet accidere. z)

t) HILDANVS, Cent. I. Obſeru. 62. Cent. 6. Obſeru. 72. LANGIVS Lib. I. epiſt. 69. AMMANNVS, Iren. qu. 29. p. 240 FRANK. Sat. p. 38. A. N. C. Dec. 2. ann. 3. Obſ. 148.

u) SINIBALDVS. c. l. l. 3. tr. 3. c. 23. p. 374. 375.

x) WALTH. SCHVLZ, Itiner. Ind. Orient. p. 143. RHODIGINI Lect. antiqu. l. 2. c. 13. SIMON, l. c. c. 2. th. 1. c. 3. th. 3. c. 6. th. 5.

y) P. AEGINETA, lib. 6. c. 68.

z) BONETI polyanth. t. 2. l. 4. c. 17.

§. CCXXVIII.

Impotentia voluntaria in foemellis.

Impotentia, extra matrimonium, in foemellis (§. CCXXV.), ad comprimendam ſalacitatem, per *ouarii exciſionem* a); adulterium

praeuertendi, per *clauſtra* Italorum *ferrea*; pro conſeruando virginitatis flore, vel per *conchae* *infibulationem* b), vel per *conſuturam* c), qui caſtrandi mos, apud Arabiae felicis & Regni Pegu incolas maxime inualuit, de induſtria prouehitur.

a) SINIBALDVS, l. c. l. 3. tr. 2. c. 5. p. 300.
b) CASPAR BAVHINI Theatr. anat. l. 1. c. 10. p. 37.
c) RODERICVS a CASTRO, de natur. mul. l. 1. c. 3. p. 7.

§. CCXXIX.

Impotentia temporaria matrimonium non impedit.

Per clauſtra, infibulationem & conſuturam perpetrata iſta impotentia (§. CCXXVII — CCXXVIII.), *temporaria* eſt, & ſera recluſa, & fracta fibula, vel conſutura remota, iterum euaneſcit; ideoque hac ratione impotentes factae, de reliquo integritate partium valentes, a matrimonio nullo iure cohiberi poſſunt.

§. CCXXX.

Eunuchi ad matrimonium admittuntur.

Vbi vero de matrimonio *eunuchorum* proprie ſic dictorum, *impotentia continua et perpetua* laborantium (§. CCXXVII.), mouetur quaeſtio; eiusmodi ademtae virilitatis hominibus, non niſi conſcia & ſuffragante altera contrahentium parte, propter ſecundarium matrimonii ſcopum, mutuam ſubſidiariam operam (§. CXXXI.), thalami conſortem legitimo foedere ſociare, permittitur. d)

d) CARPZOVIVS, in Iurispr. conſiſt. l. 2. tit. II. def. 202. n. 2. 3. KITZEL, in ſynopſi matrimon. c. 3. theor. 5.

§. CCXXXI.

§. CCXXXI.

Impotentia inuoluntaria in matrimonio accerſita.

Ita etiam *impotentia praeter voluntatem*, in matrimonio (§. CCXXII.), vtriusque maris vel foeminae culpa ſaepe contrahitur.

§. CCXXXII.

Impotentia inuoluntaria ex parte mariti.

Maritus intra matrimonium libidinis & virilitatis iacturam facit (§. CCXXXI.), vel propter organorum genitalium *conſtitutionem deprauatam* (§. CXLVI.) ex morbis *accerſitam* c), vel propter *ſanitatis defectum* f), vel propter *remediorum*, ſiue chirurgicorum, ſiue pharmaceuticorum, *applicationem incongruam* g), vel propter *frigiditatem* ex maleficio, ſeu ligatura magica h), vel per varias cauſſas alias nonnaturales. i)

c) PLATERVS, in obſ. l. I. p. 231. ZACVTVS LVSITANVS, M. P. H. L. 3. hiſt. 19. p. 519.
f) HILDANVS, cent. 6. obſ. 59. A. N. C. dec. I. ann. 2. obſ. 104.
g) A. Berolin. dec. 2. vol. I. p. 64. SIMON l. c. c. 6 th. 4. n I. A. E. L. ann. 1701. menſ. Iul. p. 329.
h) SPIDELIVS, de notabil. p. 895. BESOLDVS, Fl. pr. fol. 659.
i) SALMVTHVS, c. 3. obſ. 91. RIEDLINVS, lin. med. ann. 4. menſ. Apr. obſ. II. p. 289.

§. CCXXXIII.

Impotentia inuoluntaria ex parte mulieris.

Ex parte mulieris (§. CCXXXI.), cohabitandi impotentia propter vterum, ex iisdem rationibus (§. CCXXXII.) vel *clauſum* (§. CLXXVIII.), vel *prolapſum* (§. CXCVIII-CCII.), vel *abſciſſum* k) conſurgit. Concipiendi vero

potentia, per media, ſiue chirurgica, ſiue pharmaceutica, vel propter corporis totius ſtatum praeternaturalem, vel per nimiam obeſitatem l), haud raro prohiberi ſolet.

k) PLATERVS, Obſ. l. 3. p. 559. ZACVT. LVSIT. M. P. H. L. 2. Obſ. 85.

l) SINIBALDVS, l. c. l. 2. tr. 2. p. 146. tr. 1. c. 8. p. 428.

§. CCXXXIV.

Impotentia ex morbo impuro.

Impotentia matrimonio ex quacunque cauſſa praeter voluntatem ſuperueniens (§. CCXXXII. CCXXXIII.), etiamſi vinculum connubiale nequeat diſſoluere (§. CXLII.), a morbo tamen venereo accerſita, contractum matrimonialem aliquando reſcindit m). Enim vero eiusmodi ſoluti matrimonii rationem non morbo ſolum *impuro*, ſed imprimis etiam *vaga libidine*, hincque perpetrato *adulterio*, eſſe fundatam, opinamur.

m) A. N. C. Dec. 3. ann. 1. Obſ. 4.

§. CCXXXV.

Impotentia ex faſcino.

Impotentia ex faſcino contracta (§. CCXXXII.), a plerisque in dubium vocatur; hac denique exiſtente, atque nulla prorſus a nuptiis facta copula carnali, poſt expectationem per triennium, matrimonium nullum, vel non conſummatum putatur. n)

n) STRIK, in not. ad BRVNNEMANNI Ius eccleſ. l. 2. c. 17.

INSTI-

INSTITVTIONVM MEDICO-LEGALIVM.

CAPVT III.

DE VIRGINITATIS LAESAE ET INTEGRAE SIGNIS.

§. CCXXXVI.

Error virginitatis diuortium operatur.

Praeter reliquas diuortii cauſſas (§. CXL. CCXXXV.), vincula coniugalia, ex lege diuina o), tum quoque poſitiua ciuili p), propter *virginitatis florem* praemature decerptum, haud aeque raro diſſoluuntur.

o) Deuteron. XXII. v. 13.

p) CARPZOVIVS, in Iurispr. for. P. 4. conſt. XXVII. STRYCK, in not. ad BRVNNEMANNI Ius eccl. l. II. c. XVII. XXV.

§. CCXXXVII.

Matrimonium quid ſit?

Coniugium, ſecundum ius naturae conſidera-

ſideratum, eſt ſocietas connubialis voluntaria, ob conſortionem paternam continuata. q)

q) I. GEORG. DARIES, Inſtit. Iurispr. vniuerſ. p. 311. §. 579.

§. CCXXXVIII.

Coniugii ſcopus.

Scopi ergo, quos ſocietatem iſtam (§. CCXXXVII.) ineuntes ſibi promittunt inuicem, ſunt vel ſobolis procreatio & educatio, vel mutuum adiutorium (§. CXXXI.).

§. CCXXXIX.

Iura matrimonii e pacto conſurgunt.

Obligatio ad ſeruanda iſta (§. CCXXXVIII.) promiſſa, e pacto conſurgit, conſequenter etiam iura matrimonialia non niſi per pactum ſuam nanciſcuntur exiſtentiam.

§. CCXL.

Vterque ſexus iura habet paria.

Ideoque partem contrahentium vtramque, in controuerſiis matrimonialibus, ex cauſſa praecipue repudii, iura habere propria & paria, per contractus patet ideam (§. CCXXXIX.). r)

r) CARPZOVIVS, Iurisprud. conſiſt. l. 2. tr. II. def. 192. n. 14. FINCKELTHAVS, Obſ. 30. n. 65.

§. CCXLI.

Virginitas in ſequiori tantummodo ſexu exploratur.

Quandoquidem vero virginitatis error (§. CCXXXVI.), per ſubſequentem impraegnationem, in vxore probatur facilius, neque etiam maritus, inuita & inſcia vxore, partum alienum in thorum coniugalem poteſt introducere;

re; propterea in vtroque foro, eccleſiaſtico & ciuili, ſaepius de laeſa virginitate *foemellae*, quam *maſculi*, mouetur quaeſtio. s)

s) CARPZOVIUS, in Iurisprud. for. p. 4. conſt. XX. def. 13.

§. CCXLII.

Virginitas variis ex cauſſis indagatur.

De foemellae virginitate integra vel laeſa (§. CCXLI.) indaganda, praecique Medici deſideratur iudicum, quando nimirum

I. perſona *deflorata, a)* vel pro auertenda *poena* ordinaria *b)*, vel *repudio*, aut obtinendo, aut declinando, *virginitatem* praetendit *integram;*

II. quando *non vitiata*, propter ſpem vel matrimonii, vel dotis, *virginitatem* ſimulat *laeſam;*

III. quando foemella, ſtuprationis violentae aliquem agere cupit reum.

§. CCXLIII.

Virginitatis diuiſio.

Virginitatem plerumque in *moralem*, ſeu *mentalem*, & *phyſicam*, ſeu corporalem, ſolent diſtinguere.

§. CCXLIV.

Virginitas quid ſit?

Virginitatem *moralem* (CCXLIII.), iſtam mentis integritatem, qua puella pudoris ſinum conſeruauit illibatum, masculique nullatenus admiſit amplexus, nuncupamus; *corporalem* vero (§. CCXLIII.), carnis, ſeu organorum genitalium ſtatum dicimus naturalem.

§. CCXLV.

§. CCXLV.

Virgines in ſenſu morali et phyſico.

Liquido exinde (§. CCXLIV.) apparet, virgines dari in ſenſu *morali*, quae *phyſice* tales non exiſtunt, quando nimirum carnis integritas, per caſum, ſaltum, ſtatum morboſum, vel cauſſa vitiatur quacunque alia; mutuo pariter, in ſenſu *phyſico*, quae *moraliter* tales neutiquam ſunt habendae, quando puella vel rem habuit cum puero t), vel ſi vnica cohabitatione per virum haud probe mentulatum, ſalua manente carnis integritate, opprimitur.

t) VALENTINI, nouell. med. leg. caſ. IX. p. 235. ALBERTI, Iurisprud. med. P. I. c. 3. p. 70. 74.

§. CCXLVI.

Signa alia carnis, alia mentis integritatem indicant.

Signa ergo dantur, alia *mentis*, atque alia *carnis* integritatem indicantia (§. CCXLIV— CCXLV.).

§. CCXLVII.

Virginitatis ſigna vnde deſumenda?

Carnis integritatem (§. CCXLIV.), de qua ſola Medici deſideratur iudicium, Veteres non ex ſignis phyſicis, ſeu materialibus, ſcrutabantur, ſed varia etiam diuinitus facta prodigia in ſubſidium vocabant, adeo vt in ſuſpicionem incidentes, vel ſuper aquam u), ferrum candens, & prunas ardentes ſeſe volutando x), per acum S. WILFRIDI y), aves z), fiſtulam a), per Statuam marmoream, in delubra pudicitiae veterum

veterum Romanorum poſitam b), vel per alia commatis huius ſuperſtitioſa, vitam inculpatam adigerentur oſtendere. Sanioris vero Philoſophiae principiis imbuti, vel ipſa genitalium, vel reliquarum corporis partium luſtratione, laeſae, vel integrae virginitatis deſumſerunt notam.

SCHOLION I.

Eſt ibi, (in prouincia *Eboracenſi*, Angliae totius ampliſſima) Ripponenſe templum, quod Sti WILFRIDII *acu*, auorum aetate fuit celeberrimum. Iſta erat anguſtum in crypto-porticu foramen, quo mulierum pudicitia explorabatur; ſiquidem caſtae tranſibant facile, ſed quae famae dubiae, neſcio quo miraculo, conſtrictae detinebantur; ſunt verba THOMAE LANSII.

SCHOLION II.

Porphyrionem avem, & formae pulchritudine & nominis conuenientia, animalia caetera longe antecellentem, acerrima riualitate laborare, & mulieres quae ſunt ſine viro, *obſeruare*, quod ſi cum matre familias ſtuprum fieri cognouerint, ſe ſe *ſtrangulare*, fabulatur AELIANVS.

SCHOLION III.

In Romae antiquiſſimo iſto pudicitiae delubro, nunc Mariae Aegyptiacae dicato, ſtatua marmorea, ore hiante erat poſita, cui virgines, ad probandam pudicitiam, manum imponere tenebantur, quam corruptis, ore contracto, amputaſſe ferunt.

u) PHILIPP. CAMERARIVS, Horar. ſubciſiv. Cent. 2. c. 18. p. 70.

x) KAEMPFER, amoenit. exot. faſc. 2. relat. 12. p. 254.
y) THOMAS LANSIVS, conſult. orat. pro Britannia p. 527.
z) AELIANVS, de animal. l. 3. c. 40. p. 65.
a) CASP. THEOPH. BIERLINGIVS, theſaur. th. pr. c. 37. p. 516.
b) IOANN. IAC. BOISARDVS in topograph. Roman. die I. SALMVTHVS Comment. in Guid. rer. memor. I. tit. 46. p. 216.

§. CCXLVIII.

Carnis integritas non ſolo viſus ſenſu exploranda.

Partes genitales corporis viui internae (§. CCXLVII.) ocularem inſpectionem non admittunt; hinc manuum apprehenſione, quantum fieri illud licebit, vlterius ſunt perluſtrandae.

§. CCXLIX.

Ocularis inſpectio veteribus impudica videbatur.

Inſpectionem ocularem, multo magis & ipſum contactum (§. CCXLVIII.), mentis puritati aduerſari, jam olim viſum eſt Imperatori Romanorum IVSTINIANO; quapropter conſuetudinem aboleuit impudicam, atque in pubertate etiam diſcernenda, aetatem potius conſiderari, quam membra quae ipſa natura, obſcoena veluti ac impura, obuelauit, oculis ſubiicere laſciuis, ſanciuit (§. CIX.). c)

c) CORNELIVS VIBIVS, L. fin. c. quando tut. vel cura eſſe deſierit, l. in. ſpons. ff. de ſponſ. c. tit. ac cum acceſſit, c. de ſponſal. impub.

§. CCL.

Ad diſquirendam virginitatem obſtetrices adhibendae.

Conſiſtoriales noſtrates, vtramque, inſpectionem ocularem atque apprehenſionem manua-

manualem (§. CCXLVIII. — CCXLIX.), itidem impudicam ac inhoneſtam aeſtimantes, pro hoc ſcopo obſtetrices in ſubſidium vocare ſuadent.

§. CCLI.

Obſtetrices miniſtrandi cauſſa admittendae.

Quandoquidem vero de ardua & intricata iſtiusmodi materia iudicium inſpectionis, fallere quoque poteſt peritiſſimum, atque obſtetrices partium corporis humani cognitione penitus deſtituuntur; ideoque & has non renunciandi, ſed miniſtrandi & ſubueniendi cauſſa, coniungendas eſſe putamus.

§. CCLII.

Virginitatis ſigna non dantur propria.

Carnis integritas quemadmodum non ſola maris cohabitatione, ſed pluribus quoque aliis rationibus poteſt vitiari (§. CCXLV.); ita ſigna, quae laeſae huic integritati plerumque aeſtimantur propria, multis etiam cauſſis aliis ſaepe deprehenduntur communia.

§. CCLIII.

Cohabitatio in ſterilem et foecundam diſtinguitur.

Virginis corruptela, vel cum receptione ſeminis ab ouulo materno per tubam Fallopianam (§. CLXXXIV.), vel absque tali contingit; hanc, congreſſum *ſterilem*, illam nominamus *foecundum*, vel mulierem *concepiſſe* dicimus.

§. CCLIV.

Signorum diuiſio.

Signa ergo dantur alia congreſſus *ſterilis*, atque alia congreſſus *foecundi* (§. CCLIII.

§. CCLV.

Signa congreſſus ſterilis.

Signis, ſolam carnis integritatem deſtructam, vel congreſſum *ſterilem* indicantibus (§. CCLIV.), annumerantur:

I. Hymenis ruptura, huiusque plenaria abſentia.
II. nimia vteri vaginae laxitas & amplitudo;
III. cruentationis poſt primam cohabitationem defectus;
VI. menſura colli, ex mente HIPPOCRATIS;
V. vocis mutatio;
VI. caruncularum myrtiformium deſtructio;
VII. vrina turbida;
VIII. frenuli labiorum pudendi laxitas.

§. CCLVI.

Hymenis exiſtentia dubia deprehenditur.

Hymenis pellicula (§. CCLV.), vteri oſtium operiens, propter tenuitatem inſignem, oculorum obtutum plerumque ſolet effugere; ideoque num re vera exiſtat, partemque virginitatis conſtituat eſſentialem? adhuc ſub iudice lis eſt.

§. CCLVII.

Praeſentia hymenis a quibusdam negatur, ab aliis vero affirmatur.

Dubio itaque de hymenis praeſentia aliquo moto, Medici ſibi haud firmiter conſtant. Etenim illam vel plane inficiantur d), vel qui affirmant, pariter etiam inter ſe diſcrepant, huius-

huiusque exemplar ſibi proponunt imaginibus haud parum diſſimilibus. e)

d) CASPAR REIES, qu. 39. p. 476. 479. PETRVS DIONYSIVS, anatom. ſect. II. p. 243.
e) A. E. L. ann. MDCCXIX. M. A. p. 337.

§. CCLVIII.

De hymenis ſubſtantia diſceptatur inter Medicos.

Sic pelliculam iſtam (§. CCLVI.), quae parum haud obtecta, vteri ceruici plerumque annexa aeſtimatur; alii *nerueae*, alii *membranoſae*, alii *glanduloſae* ſubſtantiae praedicarunt tunicam f); alii vero in *concrementorum praeternaturalium* & monſtroſorum numerum illam referendam eſſe ſuſpicantur. g)

f) SINIBALDVS, Geneanthr. l. 10. tr. 1. c. 1. p. 450.
g) FRANCKENAV, Satyr. med. p. 16. 17.

§. CCLIX.

Hymenis abſentia vel praeſentia nihil probat.

Quicquid vero illorum (§. CCLVIII.) ſit, atque poſitis etiam iis, hymenis membranulam ſemper adeſſe virginibus; minime tamen pro eſſentiali virginitatis parte haberi, neque ex eius *abſentia* vel *praeſentia* certi quid poteſt inferri, quoniam vel in ipſis praegnantibus ſuperſtes ſaepe deprehenditur h), vel absque maris amplexu, ex cauſſis innumeris aliis, *ſaltu, greſſu repentino*, in adultioribus, *ſtatu morboſo, errorатione* menſtruorum *continua*, vel *nimia, fluore albo, digitis*, vel *petulantia laſciua* facile deſtruitur quacunque alia.

h) SINIBALDVS, geneanthr. L. IV. tr. I. c. 2. p. 455. FRANCKENAV, l. c. p. 20. 21.

§. CCLX.

Vaginae amplitudo proſtibulis plerumque propria.

Idem omnino illud (§. CCLVIII.), de vteri vaginae laxitate & amplitudine (§. CCLV.) quippe quae mediocritatem nimium excedens magis proſtibulis publicis, quam foemellis, vno alteroque congreſſu vitiatis, aeſtimatur propria, erit pronunciandum.

§. CCLXI.

Magnitudo partium genitalium.

Interim tamen dimenſio partium corporis noſtri reliquarum, quemadmodum generatim exacte determinari haud poteſt; ita & ſpeciatim genitalium, ſexus vtriusque, magnitudo aucta vel imminuta, relatiua tantum modo diiudicanda.

§. CCLXII.

Vaginae amplitudo quibusnam cautelis conſiderari debeat.

Quaeſtione igitur, de vaginae amplitudine huiusque anguſtia (§. CCLV.) mota, absque habito reſpectu ad *peculiarem* & *naturalem* partium genitalium *conformationem*, qua aliae magis vel minus deprehenduntur patulae, partim ad *aetatem*, temperamentum, corporis conſtitutionem *naturalem* vel *praeternaturalem*, *temporis intercapedinem* qua defloratio eſt peracta, pariter etiam ad *proportionem* iſtam, inter receptionis & inhaeſionis ſubiectum intercedentem, denique ad cohabitationis iteratiopnem, apodictice nihil omnino a Medico renunciari poterit.

§. CCLXIII.

§. CCLXIII.

Aetas tenerior virginitatis errorem facilius detegit.

Tenerioris aetatis corpora, a quacunque vi illata, citius reliquarum aetatum, patiuntur mutationem; hinc laeſae virginitatis ſigna, in puella oppreſſa, certiora relinquuntur, quam in prouectiori aetate conſtitutis (§. CCLXII.), quippe quarum corpora iam debitam ſuam extenſionem ſunt conſequuta, maioremque perferre poſſunt impetum.

§. CCLXIV.

Virginitatis ſigna pro temperamentorum varietate diſcrepant.

Corporis habitus (§. CCLXII.) laxus vel ſtrictus, quemadmodum in hoc vel illo ſubiecto, pro temperamentorum varietate, parum haud diſcrepat; ita foemellae, quarum temperamentum *frigidum* & *humidum* deprehenditur, propria atque inſita hac ſua humorum mixtione, genitalibus praeditae ſunt magis patulis, iis, quarum temperamentum *calidum* & *humidum, calidum* & *ſiccum*, vel *frigidum* & *ſiccum* exiſtit. i)

i) PINAEI Tract. de Virginit. notis.

§. CCLXV.

Vaginae capacitas morbis vitiatur.

Hymenis membranula ſicuti a ſtatu morboſo ſaepe ruit deſtructa (§. CCLVIII.), ita etiam ipſius vaginae anguſtia, huiusque parietum rugoſitas, non his ſolum, ſed reliquis etiam corporis partibus praeternaturaliter con-

ſtitutis (§. CCLXII.), vteri nimirum *haemorrhagia, chloroſi, fluore albo,* vel cauſſa quacunque alia, haud difficulter ſubuertitur k).

k) RANCHINVS, de virgin. morb. c. 5.

§. CCLXVI.

Tempus cohabitationis conſiderandum.

Inſuper etiam temporis intercapedo, qua foemella vitiatam ſeſe praetendit, non penitus erit praetermittenda (§. CCLXII.). Etenim interuallo inſpectionem & compreſſionem haud notabili interueniente, genitalia in non adſuetis, plerumque dehiſcunt, atque tumida apparent; mora vero aliqua interpoſita, ad ſtatum priſtinum & naturalem iterum recedunt.

§. CCLXVII.

Ad cohabitationis iterrationem attendendum.

Neque vero iſta vaginae amplitudo & anguſtia (§. CCLV.), ſi vel inter vtrumque receptionis & inhaeſionis ſubiectum proportio maxime inaequalis deprehenditur, vel ſi foemella vice tantummodo vnica alteraue fuerit conſtuprata (§. CCLXII.), in partem negatiuam argumentum ſuggerit probabile; partium quippe harum vincula, non motu ſoluuntur impetuoſo, ſed placido, iterato & ſucceſſiuo, dilationem admittunt.

§. CCLXVIII.

Genitalium flacciditas arte reparatur.

Praeter haec (§. CCLX — CCLXVIII.), foemellas verſutas raro haud fugit, flore virginitatis praemature decerpto, pudoris ſinus flacci-

flacciditas, artis auxilio, *citri* nimirum *ſucco*, *bellidis* & *alchimillae* fomentis, *alumine*, *vitriolo*, *aliisque adminiculis* conſtringentibus, quomodo in melius reparanda, hincque petulantiae crimen ſub intactae caſtitatis imagine ſit obumbrandum. l)

l) RODERICVS a CASTRO in med. pol. l. 4. c. XI.

§. CCLXIX.

Virginitatis ſignum ex cruentatione.

Virginitatis diiudicatio, ex *linteis* prima cohabitatione *cruentatis* deſumta (CCLXII.), genti hebraeae quidem erat ſolennis; minime tamen & his, ſolus cruentationis defectus, ſublapſae virginitatis teſtimonium praebuit manifeſtum, ſed illam tantummodo reddidit ambiguam, atque virginitatis errorem, *zelotypiae* ſacrificio extra dubitationis aleam ponendi, zelotypo praebuit anſam.

§. CCLXX.

Cruentationem per artem aemulantur.

Nos potius, quibus eiusmodi adminicula miraculoſa (§. CCLXIX.) in ſubſidium vocare neutiquam permiſſum, & quoniam ſimul foemellas noſtrates, praetenſum illud pudicitiae documentum (§. CCLXXI.) in propriam ſuam vtilitatem vertendi, ratio non latet, quum, Fezanorum more, quibus & in hodiernum diem haec probatio eſt vſitatiſſima, artis auxilio vel ſanguinem prouocare, vel ipſas nuptias, imminente demum menſtruorum fluxu, celebrandi occaſionem poſſunt praeteruertere

tere m), ſanguinis profuſionem, poſt primam cohabitationem expectandam, inter ſigna maxime fallacia merito referimus.

m) Conf. RODERIC a CASTRO, in med. polit. FORT. FIDELIS, de rat. med.

§. CCLXXI.

Cruentatio ab hymenis ruptura.

Sanguinis illud ſtillicidium (§. CCLXIX. CCLXX.) ſpeciatim ab hymenis dilaceratione deriuandum eſſe, plerique Medicorum contendunt. Quoniam vero hymenis exiſtentia ab iisdem in dubium vocatur (§. CCLXVI.— CCLXVII.), hinc illos ſibimet ipſis contradicere liquido apparet; quemadmodum etiam KORNMANNVS, in nouo ſuo tractatu de *Virginis iure* n) hymenis praeſentiam inficiatur, mox ſequentibus quaeſtionem mouens: *num ob abſentiam hymenis ſponſus queat ſponſam repellere?* litem in partem affirmatiuam componere non erubeſcit.

n) L. c. p. 111. 112. 113.

§. CCLXXII.

Cruentatio a vaſorum dilaceratione orta.

Vaginae capacitas, ad inhaeſionis ſubiectum ſuam habeat relationem, neceſſum eſt (§. CCLXII.); hinc ſanguinolentiae cauſſam, ſi generatim in vaſorum tenuiſſimorum diſtractione quaerendam eſſe ſtatuimus, *probe mentulatus* etiam meretricem conſpurcabit, *mediocri* vero *virilitate* praeditus, ne illibatam quidem reddere poterit ſanguinolentam.

§. CCLXXIII.

Argumentum Hippocratis ex colli dimenſione.

Argumentum illud HIPPOCRATIS, a *colli dimenſione* (§. CCLV.), quod in *longum* & *latum* creſcere aſſerit, deſumtum, aeque fallax iudicamus atque incertum. Equidem φλέϐες καὶ νεῦρα, e toto corpore in pudendum procedere, horumque attritu, repletione ac calefactione, pruritum exoriri, indeque voluptatem & calorem ad corporis partes permeare omnes, diſſerit, mox tamen: τὸν ηλῶςὸν τȣ̃ γόνȣ ἀπὸ τῆς κεφαλῆς παρὰ τὰ ȣ̓ατα, in ſpinalem medullam, & ſic proxime ad colli partes defluere, autumat. o)

o) Libr. de Genit. Sect. III.

§. CCLXXIV.

Vnde Hippocratis argumentum ſit deſumtum.

Diui ſenis effato (§.CCLXXIII.) iſto haud quicquam infertur aliud, quam ſanguinem, ex pudendi attritu vehementer commotum, ſicuti corpus totum reliquum, ita & proxime ac ſpeciatim ad partes capiti ſubiectas deferri, atque incremento hoc accepto, vaſa aperiri ac ampliora fieri, vnde via & tranſitus per illorum pateat anguſtiam; cui argumento, praeter MVSITANVM p); & CASP. REIES patrocinari videtur, inquiens q) *Recordor me, dum puer eſſem, de hoc experimento cum aliis non raro luſiſſe, quare illius notitiam non penitus abolitam fuiſſe patet, ſiquidem huius rei memoria apud multos inuenitur, vſum tamen noſtri aeui pudici-*

tia vetuit, et vtcunque ſit, experimentum non ſine ratione adducitur.

p) Trutin. chir. phyſ. tom. 3. c. 49. p. 256.

q) Quaſt. 38. p. 872.

§. CCLXXV.

Argumentum Hippocratis refellitur.

Sed quid ſibi volunt iſta puerilia (§. CCLXXIV)? ſeria pertractamus, hinc & ſeria cogitemus neceſſum eſt. Quemadmodum igitur colli illud augmentum (§. CCLXXII.), orgaſticam ſanguinis commotionem, quae perinde a cauſſa facile prouehitur quacunque alia, generatim pro fundamento agnoſcit ſuo (§.CCLXXIV.); ita ſecundum, HIPPOCRATIS opinionem, ſpeciatim validiſſimo & pinguiſſimo humido, ex maris amplexu, ad colli partes diffuſo, minime illud impertiendum.

§. CCLXXVI.

Argumenti huius contrarium ex ipſo Hippocrate probatur.

Quod in deflorata aiunt collum creſcere, id ego non corruptae virginitatis, ſed puberis adultaeque aetatis proprium puto: quo quidem tempore membra omnia manifeſto creſcunt augmento; ideoque videas nonnunquam virginibus, cum iam decimum quartum aetatis annum attigerint, craſſius collum fieri, quamuis nullum adhuc viri congreſſum fuerint paſſae, ſunt verba FORTVNATI FIDELIS r); quibus & ipſe HIPPOCRATES, implicite ſatis de hac re loquens: γὰρ αὔξωνται, καὶ παρθένος

θένος καὶ παῖς, ἀι φλέβες ἀι ἐς τὸ ἀιδοῖον τείνουσαι τȣ παιδὸς, καὶ τῆς παρθένȣ, καὶ ἐπὶ τὰς μήτρας ἔυροοι γίγνονται ὑπὸ τῆς ἀυζῆς, καὶ ςομȣ̃νται καὶ ὁδὸς καὶ διοδος τία ςενῶν γίγνεται, videtur adſtipulari. s)

r) de relat. med. p. 341. IOANN. BEVEROVICIVS, epiſt. quaeſt. pag. 34.

s) Lib. de genit. ſect. IV.

§. CCLXXVII.

Vocis mutatio.

Praeterea in vocis *mutatione* (§. CCLV.), cum ARISTOTELE Stagyraeo, philoſophorum principe, hac de re diſſerente t): *Venerem incipientibus vox tranſit in ſonum virilem, abſtinentibus e contrario*, amiſſae virginitatis nonnulli mouent ſuſpicionem, ex quo etiam ſigno DEMOCRITVM Abderitanum, naturae indagatorem ſolertiſſimum, puellam, greſſum HIPPOCRATIS comitantem, vno die *virginem*, altero defloratam, *mulierem* ſalutaſſe dicitur.

t) Libr. VIII. de animalibus.

§. CCLXXVIII.

De vocis permutatione diuerſae Auctorum opiniones

Immutatae vocis huius (§. CCLXXVII.) cauſſam BEVEROVICIVS u) in aetatum viciſſitudine, qua virgines pubeſcentes τραγεῖν, hincque vocem plerumque aſperam adſumere incipiunt (§. CX.); IOANN. RIOLANVS x) in corporis nimia incaleſcentia, ex voluptate venerea; HIERON. FRACASTORIVS vero y) in cordis atque ſpirituum dilitatione, ex eodem

eodem ſenſu voluptuoſo enata, quaerendam eſſe contendunt.

u) In libr. de Antipath. & Sympath.
x) Anthoropogr. fol. 193.
y) Epiſt. quaeſt. pag. 34.

§. CCLXXIX.

Ad vocis formationem quid proxime concurrat.

Etiamſi ad formandam vocem inſtrumenta requirantur innumera, tamen glottidis diuerſam aperturam, atque aeris intra pulmones compreſſi elaterem magis auctum, ad illam *proxime* concurrere, per principia phyſiologica luculenter conſtat.

§. CCLXXX.

Quid remote conferat ad formandam loquelam.

Hinc ad efficiendum illud negotium (§. CCLXXIX.) vires muſculorum vel glottidem dilatantium, vel thoracis cauum, ipſosque pulmones comprimentium, ſymbolum ſuum *remote* conferunt.

§. CCLXXXI.

Pro virium diuerſo gradu loquela mutatur.

Prout igitur facultates organorum aeris exploſioni inſeruientium illud ferunt (§. CCLXXX.), glottis etiam dilatatur & ampliatur, atque thoracis cauum vna cum pulmonibus magis vel minus comprimitur; hinc a diuerſo harum partium dilatationis & compreſſionis gradu, vocis proficiſcitur differentia.

§. CCLXXXII.

Secundum aetatum periodos mutatur vox.

Vires totius corporis, conſequenter & organo-

organorum reſpirationis (§. CCLXXIX. — CCLXXXI.), ſecundum aetatum periodos incrementum ſumunt, atque iterum decreſcunt (§. XCVI. — XCVII.); hinc in quauis vitae periodo etiam vocem immutari, atque aetate puerili *tenuem*, in pubescentibus *claram* & *acutam*, in iuuenili *reſonam*, in virili *grauem* & *acutam*, in decrepita *tenuem* iterum atque *tremulam* euadere, per experientiam habemus compertum. z)

z) I. G. RVNGE, de voce eiusque organis. Lugd. Batau. 1753.

§. CCLXXXIII.

Cauſſae etiam dantur aliae vocem immutantes.

Praeter iſtas aetatum alternationes (§. CCLXXXII.) cauſſae etiam plures dantur aliae, quae organorum reſpiratoriorum elaterem debilitandi, ſicque vocem inuertendi efficacitate ſufficienter ſunt inſtructae; ergo ab eiusmodi ſigno ambiguo (§. CCLXXVII.) ad deperditam carnis integritatem neutiquam valet conſequentia.

§. CCLXXXIV.

Carunculae myrtiformes virginitatis veſtigium.

Illibatae igitur virginitatis notam alii in caruncularum myrtiformium praeſentia (§. CCLV.) quaerendam eſſe ſtatuunt; de earundem vero ſubſtantia, numero, immo & ipſa exiſtentia, Auctorum opiniones haud parum inter ſe diſcrepant.

§. CCLXXXV.

§. CCLXXXV.

PLEMPII *ſententia de carunculis.*

Sic VOPISCVS FORTVNATVS PLEMPIVS a) veſicae vrinariae collo quatuor carunculas, myrti baccarum formam, vnde etiam denominationem ſortitae ſuam, aemulantes, proxime adhaereſcere, easdemque membranula quadam carnoſo-neruoſa, hymenis nomine inſignita, inter ſe iungi & alligari, contendit.

a) Fund. Med. l. 2. c. 9. f. 139.

§. CCLXXXVI.

Francici et Ionſtonii ſententia de carunculis.

FRANCICVS b), & praeter hunc IOANNES IONSTONIVS c), quatuor carunculas, intra foſſam nauicularem coronae inſtar locatas eſſe, easdemque non membranula mediante (§. CCLXXXV.), ſed filamentorum tenuiſſimorum interuentu adeo ad ſe inuicem colligari, vt in horum medio foramen relinquatur; ſic ita contextum illum fibroſum, carunculis in virginibus rigiditatem conciliare, in defloratis vero, ex horum filamentorum diſtractione, carunculas attritas & flaccidas euadere, conſtituit.

b) Comment. in C. Barth. Inſtit. anat. c. 31.
c) Thaumotogr. c. 5. claſſ. 10. p. 466.

§. CCLXXXVII.

Sententia Diemerbroeckii et Regneri de Graaf.

ISBRANDVS DIEMERBROECK d) in illibatis carunculam tantummodo vnicam, in de-

floratis

floratis vero quatuor adeſſe aſſerit, quas REGNERVS de GRAAP e) non pro carunculis, ſed pro rugis habet, inquiens: *Quatuor decantatas carunculas, cum hactenus fruſtra quaeſiverimus, arbitramur, pleroſque Anatomicos, orificii vaginae corrugationes ſeu membranoſas inaequalitates, nullo certo numero comprehendendas, nobis pro veris carunculis obtruſiſſe.*

d) anat. libr. I. c. 26. p. 259.
e) de mulier. organ. c. 5. oper. p. 192.

§. CCLXXXVIII.

Exiſtentia carunculárum negatur.

Denique harum carunculárum exiſtentiam alii in virginibus plane inficiantur, & diſtracto hymene, in defloratis demum ſeſe dare in apricum, easdemque aliud nihil eſſe perhibent, quam disruptae hymenis membranulae fruſtula. Sed quid inter tot opinionum diſſenſiones, de re aliqua, certi poterit renunciari, cuius ſubſtantia, numerus & ipſa exiſtentia nondum poſita eſt extra dubitationis aleam (§. CCLXXXV — CCLXXXVII.) quilibet facillime iudicabit.

§. CCLXXXIX.

Virginitatis ſignum ex vrina.

Dantur inſuper & alii, qui ex vrina (§. CCLV.), tanquam ex Apollinis Delphici tripode, augurium ſumendum eſſe, falſis imaginibus ſibi habent perſuaſum; hinc vel ex ſola eius luſtratione, vel per varia experimenta, cum foediſſimo iſto ſanguinis excremento inſtituta,

ſtituta, virginitatis integrae, vel amiſſae colligunt notas.

§. CCXC.

Vrina virginum qualis eſſe debeat?

Sola haec lotii inſpectio (§. CCXXXIX.) quibus abunde ſufficere videtur, in vrina *ſerena* & *ſubcitrina*, illibatae virginitatis indicium ſtatuunt indubitatum f); hinc LVDOVICVS BONACIOLVS *perlucidum ac tenue lotium, ſub ſtrepitu perinde atque acutiſſimo ſibilo, vt fiſtula impendio deductiore emicans, inuiolatas virgines excutere aſſerit* g), cui tamen PAVLVS AMMANNVS his contradicit verbis: *Laeſam virginitatem ex vrina, quamvis deguſtata etiam, qui praeſagire volunt, vani ſunt.* h)

f) EGIDIVS, tract. de vrinae indicio.
g) de foet. format. c. 2. p. 188.
h) Irenic. p. 128.

§. CCXCI.

Virginitatis probatio per Gagathis puluerem.

Abſtruſiori philoſophiae nimium indulgentes, *Gagathis* pulverem ad potandum ſuſpectis porrigere ſuadent; ex cuius ingurgitatione i), vel ſuffitu k), defloratas, etiam praeter voluntatem, lotium reddere, illibatas vero illud firmiter retinere, ſibi imaginantur.

i) BARTHOL. ANGLICVS, de propriet. rerum. l. 6. c. 46.
k) PLINIVS nat. hiſtor. lib 36. c. 19. fol. 639.

§. CCXCII.

Per ſuffitum.

Qui denuo melius ſibi ſapere volunt, portula-

tulacae l) vel lapathi ſemen m), carbonibus iniiciendum, eiusque ſuffitum ad perſonae, ſuſpicionem mouentis, pudenda recipiendum eſſe opinantur; ex quo vrinam, contaminatis inuoluntario proſilire contendunt.

l) ZACH. quaeſt. med. leg. 4. p. 381. SINIBALDVS geneanthr. lib. 4. tr. 2. c. 4. p. 464.

m) PETR. FORESTVS, obſ. med. lib. 28. obſ. 55. p. 708.

§. CCXCIII.

Probatio per Vrinam reiicitur.

Vrina de ſanguine quidem decedit, & cum illo per vaſa arterioſa, ſub ſeri forma, ad partes corporis transfertur omnes, conſequenter & variarum corporis affectionum, num vlcera, vulnera, bilis, pituita vel calculi adſint, num veſica, vel renes adfecti, pro diuerſa quantitatis & contentorum indole, ſaepe eſſe poteſt indicium; nihil vero cum reliquis corporis partibus commune, neque etiam ab iisdem aliquid habet impreſſum. Hinc ergo vrinilustrium illud, cum RODERICO A CASTRO n) & PAVLO ZACCHIA o), *ſignum fallacisſimum, immo vanum et indignum, cui fidem nullam habeamus*, merito dicimus.

n) Med. polit. l. 4. c. 12. p. 261.

o) Quaeſt. med. leg. l. 4. tit. 2. quaeſt. 2.

§. CCXCIV.

Virginitatis ſigna ex pudendi frenulo.

Quam virginitatis notam in reliquis corporis partibus inuenire non potuere, illam in pudendi frenulo nunc exquirendam eſſe effin-

gunt alii; de quo innocentiae documento IOANNES PALFINVS p), in rebus anatomicis alias exercitatiſſimus, ita loquitur: La foſſe nauiculaire eſt formée par la jonction des parties inferieures des grandes levres; d'autres la nomment la *fourchette*, ſur quoy ſ'appuye la verge de l'homme dans le combat de venus. Il y a des authéurs, qui croient, que ſigne veritable qu'une femme a enfenté, ſe connoit par ce que les ſages femmes appellent entr'elles le dechiriment de la *fourchette*, qui eſt une dilaceration de l'entrée de l'orifice du gaine vers l'anus, qui ſe fait toujours à la ſortie du premier enfant, & qui par conſequent eſt marque indubitable de l'accouchement qui a precedé.

P) dans la deſcript. anatom. pag. 4.

§. CCXCV.

Pudendi frenulum ſignum exhibet ambiguum.

Aſt enim quod *generatim* de pudendi amplitudine & laxitate fuit dictum (§. CCLX — CCLXVIII.), illud *ſpeciatim* quoque valet de ligamentoſa iſta cutis labiorum parte, quam in virginibus plerumque *conſtrictam* & *tenſam*, in defloratis vero *laxam*, & in puerperis valde *diductam* eſſe ſtatuunt.

§. CCXCVI.

Signa virginitatis dantur etiam plura.

Praeter ſigna recenſita (§. CCLVI. — CCXCV.), e *pudendi* etiam *pilis*, de quibus CASPAR REIES q) ita diſſerit: *pili pudendorum mulieribus*

mulieribus criſpiores, in virginibus lenes, longi ac tortuoſi erumpunt; quippe in illis quae coitu vtuntur, partes illae increſcunt, ac ideo materia pilorum magis aduſta redditur, vnde ſit, vt non ita lenes et blandi oriantur pili; ex intumeſcentia *oculorum, naſi globulo,* quem vel latiorem, vel ſciſſum fieri dicunt r), e *verecundia, hircismo,* & ſimilibus aliis s), virginitatis notam petendam eſſe ſtatuunt; quatenus vero *haec* reliquis omnibus minus deprehendimus probabilia, hinc eadem quoque merito praetermittimus.

q) Quaeſt. 39. p. 476.

r) IOANNES ab INDAGINE, Introduct. in phyſiogn. lib. 2. c. 4. p. 82.

s) MART. SCHVRIGII Parthenolog. hiſt. med.

§. CCXCVII.

Virginitas laeſa et integra aliunde eſt probanda.

Itaque ex ſignis hiſce collectiue etiam ſumtis omnibus (§. CCLV — CCXCVI.), dum plures quoque cauſſae aliae concurrere, eundemque effectum poſſunt producere, foemellam illibatam vel corruptam, non *apodictice*, ſed *probabiliter* tantummodo renunciandam eſſe, luculenter apparet; hinc ſi perſona *deflorata*, vel pro auertenda *poena* ordinaria, vel *repudio*, aut obtinendo aut declinando, virginitatem praetendit integram, vel *non violata*, propter *ſpem*, vel *matrimonii*, vel *dotis*, virginitatem ſimulat laeſam (§. CCXLII.), eiusque corruptela vel integritas praetenſa, *aliunde*, vel per *propriam confesſionem*, vel per *aliorum teſtimonia* de vita anteacta, vel per *partum* ni-

mis *praecocem*, liquido probari non poterit, alterutrius querelas non audiendas eſſe, plerique Iuriſconſultorum aſſentiuntur. t)

t) CARPZOVIVS, Iurispr. for. part. 4. conſt. 27. def. 13. 14. l. 12. ff. de homin. ſtatu.

§. CCXCVIII.

Neque ex ipſo partu probatur.

Quandoquidem vero partui nullum tempus certum tribuitur (§. XVI.), atque exempla, quibus conſtat, quinto, ſexto u), vel menſe decimo, immo & decimo quarto x), ſemina concepta reddidiſſe, proſtant innumera; idcirco & partus *praecox* (§. CCXVII.) praemature decerpti virginitatis floris indicium haud ſemper praebet firmum.

u) FRIDRIEC. BONAVENTVRA, l. I. c. TORREBLANC. epiſt. dilect. l. 2. c. 43.

x) ALBERTI, Iurispr. med. P. I. p. 157. ZITTMANNVS, cent. I. c. I. p. 58.

§. CCXCIX.

Cohabitatio foecunda facilius cognoſcitur.

Congreſſus *foecundus* (§. CCLIII. — CCLIV.) maiorem corporis mutationem habet coniunctam, hinc facilius quoque cognoſcitur congreſſu *ſterili*. Etenim aura ſeminali per tubam Fallopianam ab ouario recepta, vaſorum vterinorum oſtiola, vna cum vteri orificio, clauduntur; hinc ſanguini iam ſupra mediocritatem abundanti exitus praecluditur, ex qua ſanguinis redundantia, notabilis iſta corporis alteratio conſurgit.

§. CCC.

§. CCC.

Cohabitatio foecunda ſimulatur et diſſimulatur.

Congreſſus *foecundus*, perinde ac *ſterilis*, ſimulatur & diſſimulatur. Simulatur,

I. quando maritus ab inteſtato vitam deſeruit, ac, num vxor praegnans relicta? quaeſtio mouetur;

II. quando mulier ad torturam vel ſupplicium damnata de tempore meditatur lucrando.

Diſſimulatur & occultatur, pro auertenda poena ordinaria, per *abortus* promotionem.

§. CCCI.

Signa alia dantur ſeminis retenti, atque alia reiecti.

Abortus dicitur, ſeminis paterni ad ouulum recepti, ante debitum & conſuetum partus terminum excluſio (§. XV. — XXIX.). Signa ergo dantur alia ſeminis *praemature reiecti*, atque alia *ſeminis retenti;* de illis in antecedentibus (§. XLII. — LII.), de his mox ſequentibus erit dicendum.

§. CCCII.

Grauiditas cognoſcitur vel ex relatione, vel ex corporis mutatione praegnantis.

Seminis *retenti*, ſeu grauiditatis ſigna (§. CCCI.) non ex ſola maris cum foemina cohabitatione deſumuntur; ſed vel ex *relatione* ipſius perſonae praegnantis, vel ex *mutatione*, quam foemellae corpus mox ſubit poſt conceptum (§. CCXVIII.), erunt petenda.

§. CCCIII.

Signa grauiditatis ex relatione praegnantis.

Conceptus indicia, ex relatione praegnantis (§. CCCII.) eruenda, ſunt, poſt cohabitationem, praeter cauſſam manifeſtam, *languor et inquietudo corporis*, *horror intermiſſus*, propenſio ad *animi motus*, *vomitus* matutinus *nauſea*, vel a cibis omnibus, vel certis quibusdam tantum, *appetitus abſurdorum*, *menſium emanſio*, *capitis*, *dentium*, *ventriculi* atque *vteri* dolores inſoliti, quae ſymptomata, ex ſanguinis redundantia (§. CCVIII.) & inde pendente viſcerum, praecipue abdominis, oeconomia turbata, mox poſt conceptum plerumque ſolent promanare.

§. CCCIV.

Signa ex relatione praegnantis deſumta fallere conſueſcunt.

Equidem ab interrogando, quid patiantu praegnantes, & quamdiu hoc vel illud ſym ptoma fuerint perpeſſae, cognitio pendet al qualis, ſed aſtutae mulieres, interrogata facil reſponſione alia poſſunt excipere, atque ſym ptomata iſta ſingula (§. CCCIII.), praeter ho quod a menſium ataxiis, vel quocunque al corporis ſtatu praeternaturali queant prouenir reticendi & occultandi mira pollent calliditate.

y) Conf. WEDELII diſſertatio de notis grauidaru

§. CCCV.

Grauiditas ex mutatione corporis facilius dignoſcitu

Hinc ergo in caſu ancipiti, ſigna poti alia, quae a corporis *mutatione* (§. CCXCVI

deſu

deſumuntur, & a praegnantibus haud ita facile celari & occultari poſſunt, in ſubſidium ſunt vocanda.

§. CCCVI.

Symptomata conceptum excipientia.

Inter ſigna iſta a corporis mutatione deſumta (§. CCCV.), conceptum concomitantia, militant inprimis, *tumor abdominis*, primis duobus menſibus parum admodum in ſenſus incurrens, tertio vero menſe, foetu incrememtum ſumente paululum maius, pedetentim increſcens; *mammarum incrementum*, quinto & ſexto menſe, vna cum lactis prouentu procedens; *color* papillarum in mammis *liuidus;* denique *motus embryonis*, quarto poſt conceptum menſe obſeruandus.

§. CCCVII.

Symptomata grauiditatem concomitantia non raro conſuescunt fallere.

Interim tamen & haec conceptus indicia (§. CCCVI.) peritiſſimos ſaepe conſueſcunt fallere, & non niſi vltimis, *ſeptimo*, *octauo*, & *nono*, geſtationis menſibus, ſignis caeteris collectiue ſumtis omnibus (§. CCCIII.), de veritate probabiliter teſtantur.

§. CCCVIII.

Praegnantium ſymptomata, a cauſſis etiam aliis proſiciſcuntur.

Etenim *tumor* iſte *abdominis*, *mammarum incrementum* vna cum *lactis praeſentia*, *color* papillarum *liuidus*, & *motus* in foemellae abdomine

 perce-

perceptibilis (§. CCCVII.), cauſſis etiam non-naturalibus ſua haud raro debent primordia; hinc indiciis iterum atque iterum aliis opus eſt quibus ſtatum *naturalem* a *praeternaturali* quadantenus diſtinguimus.

§. CCCIX.

Tumor abdominis grauidarum differt a tumore ex menſium ataxiis.

Inter cauſſas iſtas non-naturales, conceptum mentientes (§. CCCVIII.), menſtrua ſuppreſſa, quibus reliqua ſymptomata fere omnia ſuos debent natales, principem merito tenent locum; tumorem igitur abdominis, ex hac cauſſa enatum, eo facile dignoſcimus, quod febrem albam ſemper habeat comitem, & perinde ac aſciticorum abdomen aequaliter occupet totum cum notabili actionum naturalium laeſione, & non longa temporis mora, qua foemellae conflictantur, interpoſita, ſed derepente conſurgat.

§. CCCX.

Differt ab oedematoſo et tympanitico.

Tumor abdominis (§. CCCVIII.) ſi fuerit *oedematoſus*, cum fluctuatione eſt coniunctus, cedit etiam preſſioni, huiusque relinquit veſtigia; ſi vero *tympaniticus*, cum ſono exercet renitentiam.

§. CCCXI.

Diſcrepat a tumore ſcirrhoſo.

Qui vero a conceptu ſumſit orginem, non ſecundum dimenſiones omnes ventrem diſtendit,

dit, ſed hypochondria magis occupat, & tertio demum menſe, menſtruorum fluxu emanſo, absque notabili actionum laeſione, lente accedit & progreditur (§. CCCVI.), neque etiam durus, qualis a *ſcirrhoſa* viſcerum *ſubſtantia* obſeruatur, vel preſſus foveam relinquit (§.CCCX.) ſed remiſſus, ac in vtroque hypochondrio plerumque acuminatus deprehenditur.

§. CCCXII.

Lactis prouentus cauſſa in grauidis.

Mammarum *incrementum* cum *lactis praeſentia* (§. CCCVI.) in grauidis, ab oſtiolorum vaſorum vterinorum conſtrictione, & exinde pendente ſanguinis, per dicta loca excernendi, redundantia proficiſcitur. Tracta enim fibra vna, trahitur & altera, illamque ad vlteriorem contractionem ſtimulat irritatque.

§. CCCXIII.

Conſenſus vaſorum vterinorum cum partibus vicinis datur,

Facta aliqua fibrillularum ovuli; a recepta aura ſeminali per Fallopianam tubam (§. CCXVIII.), extenſione, fibrae quoque reliquae cum ouulo foecundato cohaerentes, incitantur & ſtimulantur, donec vterinorum vaſorum oſtiola etiam in conſenſum trahantur (§. CCCXII.).

§. CCCXIV.

Vaſa mammaria cum vtero habent commercium.

Sanguinis vnda, tempore lunari conſueto, maiori copia ad vterum congeſta, ex dictis cauſſis (§. CCCXIII.) exitum ſi inuenire nequit,

vaſa vterina in diametro iuſto fiunt ampliora facta vero horum diſtenſione maiori, vaſa eti am reliqua, praecipue *mammaria*, cum vter connexa, in conſenſum trahuntur.

§. CCCXV.

Ex conſenſuali affectione mammarum incrementum oritur.

Vaſis mammariis vltra gradum expanſi (§. CCCVI.), ipſa etiam mammae incremen tum ſumunt notabile, atque harum glandula ſanguinis partem chyloſam, in praegnantibu ſaepius circa menſis quinti medium magis ma gisque recipere (§. CCCVI.), per experient am ſumus edocti.

§. CCCXVI.

Color papillarum liuidus ex ſanguinis abundantia, oritur.

Idem omnino illud (§. CCCXV.) ad papi larum *liuorem* (§. CCCVI.) quadrat, cuius cau ſam, perinde ac mammarum incrementum, i redundantia ſanguinis nimia (§. CCCXI.), c inde pendente minutiſſimorum vaſorum capi larium, aream perreptantium, diaereſi quae rendam eſſe arguimus.

§. CCCXVII.

Liuor papillarum eſt ſignum generale.

Ideoque papillarum liuor non *proprie* c *ſpeciatim* deperditae integritatis, ſed *generati* ſanguinis redundantis, & ad dicta loca congeſ (§. CCCXVI.) ſuggerit teſtimonium; ſiquiden in cachecticis, vel menſibus ex quacunque cau

ſa emanſis & ſuppreſſis, eiusmodi liuor & maculae ſparſim in corporis partibus etiam reliquis frequentiſſime veniunt in conſpectum; hinc IOANNES BEVEROVICIVS z) contra fallax illud virginitatis indicium his inſurgit verbis: *Falſisſimum eſt hocce ſignum, cum ea coloris mutatio et virginibus accidere posſit, nondum mulieris patientiae legem pasſis, veluti in cachecticis et valetudinariis obſeruare eſt.*

z) Quaeſt. epiſt. pag. 3.

§. CCCXVIII.

Motus in abdomine perceptibilis fallit.

Neque etiam embryonis motus, quarto poſt conceptum menſe perceptibilis (§.CCCVI), quippe quem ſaburra verminoſa, flatulentia hypochondriaca, atque viſcerum abdominis, praecipue meſenterii glandularum obdurationes ſcirrhoſae, adeo exacte aemulantur, vt ipſas mulieres conſuescant fallere peritiſſimas, grauiditatis certitudinem ſemper confirmat.

§. CCCXIX.

Hippocratis experimentum per aquam mulſam reiicitur.

Experimentum denique illud HIPPOCRATIS a), quo grauiditatem ſimulantibus vel diſſimulantibus aquam propinare mulſam, harumque pudenda aromatibus ſuffire ſuadet, praeter hoc, quod per eiusmodi ſubſidia foetui vim inferre, eundemque facile enecare valeamus, cum rationis & experientiae principiis congruit minime; mulſa quippe vtriusque

ſexus

ſexus ieiunis nauſeam, & ab HIPPOCRATE allegata iſta tormina facillime ſolet ac poteſt excitare.

a) Sect. V. aphor. XLI.

§. CCCXX.

Ex ſignis dubiis non renunciandum.

Signis itaque hiſce (§. CCCIII—CCCXX.) collatis omnibus, quaeſtio *de grauiditate* mota, ſi non aperte extra dubitationis aleam ponenda, prudentiae atque obligationi naturali magis conſentaneum eſſe putamus, rem ambiguam, tantaque caligine obductam, ad aliquod temporis ſpatium in ſuſpenſo relinquere, quam vtriusque matris atque foetus periculo, pro vera & comperta venditare.

§. CCCXXI.

Stuprum violentum quid ſit?

Cohabitatio extra ſocietatem connubialem continuatam (§. CCXXXVII.) contingens, vel conſenſu vtriusque, maris & foemellae, vel praeter voluntatem alterutrius perpetratur; illam *voluntarium*, hanc, *violentum* dicimus ſtuprum.

§. CCCXXII.

Stuprum in quos committatur?

Stuprum ergo *violentum* (§. CCCXXI.) committitur in vtriusque ſexus hominem, *iuuenem & adultum*, *ſanum & morboſum*, *imbecillem*, *tenerioriſque conſtitutionis*, *inſipidum*, *ebrium*, *ſomnumque capientem*.

CCCXXIII.

§. CCCXXIII.

Praeſumtio iuris militat contra iuuenes vegetos.

Maxime tamen iuris praeſumtio contra vtriusque ſexus hominem iuuenem & vegetum, libidinis flagrantem quippe, militat, hinc plerumque ſtupri violenti falſe praetenſi ſuſpicionem incurrit; & quemadmodum *ſola*, nubilis vegeta, & non mente capta, a *ſolo* ſuperatur difficilime, ita etiam maſculus pubens oppreſſionis haud ſubit periculum.

SCHOLION.

Iurisconſulti inter praeſumtionem *hominis* (non cuiuslibet *hominis*, ſed iudicis tantummodo), *iuris*, *iuris et de iure* diſtinguunt. *Iuris* praeſumtio, ex natura rei, *hominis* vero praeſumtio ex circumſtantiis ſpecialioribus, factum perpetratum concomitantibus, deſumitur; denique *iuris et de iure* praeſumtio ſemper argumenta requirit certa & infallibilia. Hinc vtraque prior, *hominis* & *iuris* praeſumtio, probationem in contrarium, poſterior autem, nimirum *iuris et de iure* praeſumtio, illam nullatenus admittit, & propterea in ſenſu proprio non *praeſumtio*, ſed potius *legum diſpoſitio* eſt dicenda.

§. CCCXXIV.

Somnum capiens praeter voluntatem num vitiari queat?

Inter Iurisconſultos & Medicos lis mouetur quoque, num foemella ſomnum capiens, absque expergefactione queat vitiari? quod vtrique in partem decernunt negatiuam. Vbi vero ſomnum in *profundum*, eumque in *naturalem*

ralem & *praeternaturalem*, quippe quo vel diffi-cillime, vel plane non excitantur, atque ite-rum in *leuem* diſtinguimus, a contrariantium partibus ſtandum eſſe dictitat ratio.

SCHOLION.

Diſtinguendum etiam inter foeminas ſobrias, & potu, praecipue ſpirituoſo repletas, ſanae mentis, atque inſanas, ſtupidas & imbecil les, ſomno deprehenſas, quae vel ſomno gravi & profundo obruuntur, & conſequen ter parum, vel non percipiunt, quid cum illis agatur, vel etiam per congreſſum ve-nereum excitatae, tentatum actum vel non attendunt, vel in ipſo ſomno, obliuione ite-rum conterunt.

§. CCCXXV.

Signa Stupri violenti.

Signa quibus Stuprum diſnoſcimus vio-lentum, ſunt vel *generalia*, vel *ſpecialia.*

§. CCCXXVI.

Signa in puella et puero.

Signa *generalia* (§. CCCXXV.), in puella cum virginitatis laeſae ſignis (§. CCLVI — CCXCVIII.) coincidunt; *ſpecialia*, in vtroque *puero* & *puella*, a genitalium intumescentia & dilaceratione, non longa temporis intercapedi-ne inter factum perpetratum intercedente, ſun deſumenda.

§. CCCXXVII.

Signa in nuptis et vetulis.

In nuptis, viduis & vetulis, ſi non ſimu in corpore toto reliquo impetus ferant veſtigia ſigna plane dantur nulla.

INSTI-

INSTITVTIONVM MEDICO-LEGALIVM.

CAPVT IV.

DE LOCORVM, AQVARVM ATQVE AERIS SALVBRITATE.

§. CCCXXVIII.

Origo gentium.

E connubio diuerſi hominis foecundo (§. CXXVI.) *ſoboles* conſurgunt; ex his vero integrae familiae & gentes ſuam naniſcuntur originem.

§. CCCXXIX.

Leges ſalutem publicam cuſtodiunt.

Quemadmodum vero cuiuslibet indiuidui itam ſartam tectamque coſtodiunt leges; ita legislatoris intentio totius proſapiae & reiublicae reſpicit ſalutem.

§. CCCXXX.

Parietum aedificatio ad ſuſtinendam familiam neceſſaria.

Etiamſi gentes varias, vna cum ſuis famiı liis, absque tectis & parietibus ſtabilibus etiam num degere, experientia haud contrarium ſua deat; iuxta HESIODI tamen monitum, *οικο μεν πρωτιστα*, rerum familiarum praecipuum omnium, domus, quae tanquam ſubiectum familiam conſeruandi & ſubſtinendi neceſſario requiritur, eſt conſtruenda.

§. CCCXXXI.

In vrbium aedificatione ſanitatis habenda ratio.

Ideoque in conſtituendis iſtis domibus (§. CCCXXX.) & ciuitatibus, praeter reliqua, de locorum, aquarum atque aëris ſalubritate, cu ius notitiam & HIPPOCRATES b) imprimi futuro Medico inculcat, meditari, parite cautum eſt legibus.

b) Libr. de aëre, aqua & locis, ſect. III.

§. CCCXXXII.

Salubritas loci eſt vel relatiua, vel abſoluta.

Locorum ſalubritas (§. CCCXXX.) absque reſtrictione & limitatione exacte determinar non poteſt; hinc in *abſolutam* & *relatiuam* com mode diſtinguimus.

§. CCCXXXIII.

Salubritas abſoluta.

Salubritas locorum *abſoluta* (§. CCCXXXII. vel per *ſe* patet, vel ex ſolo *effectu* cognoſcitur

§. CCCXXIV

§. CCCXXXIV.

Signa ſalubritatis.

Signa ſalubritatis locorum per ſe (§. CCCXXXIII.) vel a *propria* ſoli *conſtitutione*, vel ab eorundem *ſitu* ſunt deſumenda.

§. CCCXXXV.

Signa ex ſoli conſtitutione.

De locorum ſalubritate ex *ſoli conſtitutione* (§. CCCXXXIV.) certiores reddimur, ſi terra rubea, graui & pingui, vel argillacea illud fuerit refertum; ſi non ſtagnis & paludibus ſcateat, ſed fluuiis puris vndique irrigetur, neque etiam fontes deficiant medicati; vel ſi effluuia, capiti & pulmonibus imprimis damnoſa, metallica & mineralia, copioſius haud ſpiret.

§. CCCXXXVI.

Signa e locorum ſitu.

Signis ſalubritatis e locorum ſitu depromtis (§. CCCXXXIV.) adnumerantur, locus ſi non collibus vel radicibus montium circumcinctus, neque tamen admodum fuerit eleuatus; ſi ventis ſalubribus, borealibus nimirum & auſtralibus, expoſitus, vel ſi ſyluis, herbis & floribus, gratum odorem ſpargentibus, vndique fuerit obſitus.

SCHOLION.

VITRVVIO volente, de archit. l. I. c. 4. aëris puritas nullibi maior, quam in locis mediocriter eleuatis, quippe quae non facile nebuloſa & pruinoſa eſſe ſolent, deprehenditur.

§. CCCXXXVII.

Signa ex effectu.

Signa ſalubritatis ab *effectu* (§. CCCXXXIII) Veteres per augurium, ex animalium diſſectorum viſceribus, in apricum ſtudebant proferre c); noſtrates vero, ſanioris quippe philoſophiae principiis imbuti, alia potius adminicula in ſubſidium vocare conſueſcunt, atque praeter adducta (§. CCCXXXV — CCCXXXVI.) eo potiſſimum reſpiciunt:

I. Num incolarum plerique viuida & robuſta animi atque corporis conſtitutione praediti?

II. Num longam annorum ſeriem degant?

III. Num ſtatis temporibus quotannis epidemicis, vel endemiis divexentur morbis?

IV. Num ex errore quocunque rerum iuxta nonnaturaliam vſum commiſſo, ſanitatis laeſiones facile conſurgant?

V. Defatigati, ad eiusmodi regionem transportati, num citius vel tardius conualeſcant, & ex hac locorum mutatione haud parum leuaminis perſentiſcant?

VI. Num ſolum tale fungos, herbas, vel plantas & animalia venenata proferat?

VII. Num tota prouincia ſedes habeat multum depreſſas & inundationibus obnoxias?

VIII. Num denique paludibus, ſyluis nimis denſis umbroſis & humidis ſcateat?

c) VITRVVIVS de Architect. l. 1. c. 1.

§. CCCXXXVIII.

§. CCCXXXVIII.

Salubritas loci relatiua.

Salubritas locorum *relatiua* (§.CCCXXXII), vel a totius vrbis, vel a ſingulorum aedificiorum pendet conſtructione.

§. CCCXXXIX.

Quid circa vrbis conſtructionem obſeruandum?

Idem omnino illud, quod generatim de locorum conſtitutione, horumque ſitu (§. CCCXXXV — XXXVI.) dictum, de integris vrbibus, perinde ac caſtris conſtruendis valet; ſpeciatim vero in platearum conſtructione reſpiciendum, ne aëris ventilatio, atque radiorum ſolarium receptio impediatur, atque, fieri ſi illud poterit, ita potius dirigantur, vt pro abluendis ſtercoribus, quisquiliisque aliis, riuulis & ripis vndique irrorentur.

§. CCCXL.

Aedificiorum diſtinctio.

Singula vero aedificia ſunt vel *publica*, ut palatia regia, eccleſiae, collegia, gymnaſia, baſilicae, noſocomia, orphanotrophia, piſtrinae, tecta anonae militaris, mauſolea & ſepulchreta quaecunque alia, vel *priuata.*

§. CCCXLI.

Aedificia publica vbinam conſtruenda?

Aedificia *publica* (§. CCCXL.) vel hominum multitudinem maiorem, vel frumentorum farraginem recipiunt inſignem; hinc pro liberiori aëris tranſitu, atque radiorum ſolarium acceſſu, vel ſeparatim in vrbium locis paululum

 lulum

lulum eleuatioribus, vel extra moenia ſunt collocanda. Ita & turres tormentarium pulverem recipientes & aſſeruantes, propter fulminis & incendii pericula procul ab vrbibus diſtent.

§. CCCXLII.

Aedificiorum priuatorum diſtinctio.

Aedificia *priuata* (§. CCCXL.) in magnatum, opulentorum, & opificum aedes merito diſpeſcuntur.

§. CCCXLIII.

Magnatum palatia vbi collocanda?

Magnates & praediuites, quibus ſanitatem curae cordique ducere imprimis permiſſum, tecta illorum in vrbium centro, prope coemeteria, vel iuxta opificum, artes immundas exercentium, confinia ne exſtruantur, caueant.

SCHOLION.

Quemadmodum vero reipublicae magnopere refert, omnimode praecautum habere, coemeteria ne intra moenia concedantur & exſtruantur; ita imprimis etiam ex ſepultura in templis facta, propter hominum iſtum conuentum copioſiſſimum (§. CCCXLI.) damnum eo euidentius reſultat. a)

a) Lent Miſc. med. p. 642.

§. CCCXLIV.

Artes immundae prohibentur.

Propter commune illud incommodum (§. CCCXLIII.) legibus ſtatutariis cautum eſſe ſolet, artes odorem de ſe ſpargentes grauiter olentem, ſaponaria, fullonia, coriaria, &c. vt

vt vel omittantur penitus, vel extra moenia relegentur.

SCHOLION I.

Legem iſtam (§. CCCXLIV.) iure Lubecenſi his verbis deprehendimus expreſſam: Nemo de nouo in eo loco officinas cereuiſiarum, Brauer, fabrorum, Schmiede, figulorum, Töpfer, coriariorum, Gerber, ſine conſenſu vicinorum erigito, vbi ex antea non fuerunt. Praeterea piſcium emollitores, Fiſchweicher, ſebi liquatores, Talgſchmeltzer, aurifabri, Goldſchmiede, aerarii, Kupferſchläger, lebetarii, Glockengieſſer, laniones, Knochenhauer, vietores, Böttiger, ſmegmatum coctores, Seifenſieder, vini deſtillatores, Branteweinbrenner, caupones et ſimiles, periculoſas atque intolerabiles artes exercentes, in iis aedibus, ſine vicinorum conſenſu, non inſtituant aut exerceant, vbi praeterito tempore non exercitae ſunt. Et licet antiquitus ius exercendae eiusmodi incommodae artis in aedibus fuiſſet, vicennio non exercita amittitur. L. III. tit. XII. artic. XII.

SCHOLION II.

Iure quidem germanico, artes quasuis extra vrbes in villis aut pagis exercere non permittitur; niſi quod nobilibus quibusdam, opifices, eosdemque in numerum magiſtrorum ciuitatis adiacentis receptos, in praediis ſuis alendi, conceſſum ſit. Ciuitatum vero quarundam Germaniae Statutis, quae autem valde ſingularia ſunt, neque regulam faciunt generalem, coriarias, reliquasque artes, quarum exercitium foetorem vel immundi quid ſecum ducit, in iis commorari vetitum eſt.

§. CCCXLV.

Literati priuilegio gaudent ſpeciali.

Ita etiam in ſtudio literarum verſantes, pri-

uilegio iſto gaudent ſpeciali, quod opificiarii, quorum operationes manuales multum ſtrepitum ſolent ciere, abeſſe debeant.

SCHOLION.

Ius illud literatorum contra vicinos ſtrepiferos, ſtudia impedientes, in *praeuentione* imprimis fundatum eſſe videtur, ſi vel doctor, vel ſcholaris in vicinia habitauerit, ſicque artificem, aliumque impedientem *praeuenerit*, STRYCK. de Iure ſenſuum diſſert. 3. de Audit. c. 2. n. 10. & 20. FRANCISC. MARC. deciſ. P. 1. qu. 634. nec non HENRIC. LINKENII Diſſert. de Iure literatorum contra vicinos ſtrepiferos, aliosque ſtudia impedientes.

§. CCCXLVI.

Aedium ſtructuram etiam internam leges ſollicitant.

Structura aedificiorum interior, magis ad ornatum, quam publicam vtilitatem faciens, prudentis cuiuslibet architecti relinquitur arbitrio; interim tamen & *fornaces, camini*, ac *cloacae* ita locandae & conſtruendae ſunt omnimode, ne vicinis damnum vel moleſtia exinde inferatur. d)

d) KNIPSCH. de ciuit. imper. l. 5. c. 19. n. 1. 2. STRYCK. de Iure ſenſuum, diſſert. 5. n. 10.

SCHOLION.

Iure Lubecenſi, propiores vicinas latrinas, ignis vel fumaria receptacula, ſine vicinorum conſenſu et conceſſione, in locis, vbi antea non exſtitere, erigendi, probibetur his verbis:

I. Latrinae a coemiteriis et plateis per quinque pedes, a vicinorum fundo per tres diſtanto. L. III. tit. XII. art. X.

II. Publica balnea nec non furni piſtorum, ſine expreſſo

preſſo conſenſu Senatus et vicinorum non exſtruantur. L. III. tit. XII. art. XI.

III. *Nouos aditus, habitationes, aut cellas habitatorias, feneſtras, oſtia, proiecta, fumaria aut ignis receptacula, ſine vicinorum conſenſu et conceſſione in locis vbi antea non exſtiterunt, conficere permiſſum non eſto. Lib. III. tit. XII. artic. XIII.*

§. CCCXLVII.

Aedes nouiter exſtructas inhabitandi Romanis erat prohibitum.

PLINIO teſte e), Romanorum genti, domos nouiſſime conſtructas, ante triennium inhabitandi haud quaquam erat permiſſum. Dubium vero relinquitur, num propter noxam ab exhalationibus metuendam, num damnum potius e praematura inhabitatione ipſis aedibus illaturum, deuitandi & praeuertendi, illud fuerit prohibitum.

e) Hiſtor. natur. L. 36. c. 23.

§. CCCXLVIII.

Aquarum diuiſio.

Aquae dulces (§. CCCXXXI.), praeſtantiſſimum illud vitae pabulum, vel *fluentes*, vel *ſtagnantes* deprehenduntur; vtraeque vero vel *imbricoſae*, vel *niuales* in terram delabuntur, vel ex eiusdem promanant viſceribus.

§. CCCXLIX.

Aquarum impuritas vnde?

Pro hac ſcaturiginis diſcrepantia (§. CCCXLIIX.), lymphae variis quoque particulis peregrinis inquinatae deprehenduntur; prout igitur quantitate maiori vel minori, partes alie-

nae & aduentitiae cum aquis inueniuntur commixtae, eo quoque magis vel minus ſanitati easdem contrariari iudicamus.

§. CCCL.

Aquarum ſalubritas vnde?

Aquarum ergo ſalubritas a partium in iisdem congregatarum (§. CCCXLIX.) ſegregatione & remotione vnice pendet.

§. CCCLI.

Aquae vel natura, vel arte depurantur.

Quisquiliae aquis intermixtae (§.CCCXLIX), vel *natura auxiliatrice*, conuertendo nimirum easdem in vapores, concuſſione & decurſu per fundum arenoſum lapidoſumque, vel *artis ope*, filtratione per lapidem poroſum, praecipitatione, coctione & deſtillatione ſegregantur & dimouentur.

§. CCCLII.

Aquae ſalubriores.

Aquae ergo fluentes *ſtagnantibus*, pluuiales autem *fontanis* ſalubriores exiſtunt; hae denique ſcaturigine quo gaudent profundiore, eo quoque praeſtantiores ſunt aeſtimandae (§. CCCLI.).

SCHOLION.

Aquarum ſalubritatem HIPPOCRATES, *de Aëre loc. et aqu. Sect. III. his indicat verbis: Optimae vero ſunt, quae ex ſublimibus locis et terrae tumulis profluunt. Hae enim dulces ſunt et albae, modicumque vinum ferre poſſunt, per hyemem calidae, per aeſtatem frigidae. Tales enim ex profundiſſimis fontibus proueniunt.*

§. CCCLIII.

§. CCCLIII.

Quaenam aquae ſalubriores.

Aquae ad alcalinam naturam accedentes cum acidis efferueſcunt; quae vero de particulis mineralibus, martialibus & vitriolaceis participant, a lunae vel mercurii viui ſolutione albicantem, a gallarum puluere colorem nigricantem & ſubrufum nanciſcuntur; terram calcariam continentes, oleo tartari affuſo lacteſcunt.

SCHOLION I.

Praeter iſtas qualitates (§. CCC — CCCLII.) plures etiam alii dantur characteres aquarum ſalubritatem determinantes, nimirum:

I. Odor, color et ſapor, limpitudinem earundem cum maxime indicantes;

II. quando absque putredinis contractione per notabile temporis ſpatium poſſunt durare;

III. diutius aſſeruatae vel coctae, ſedimenti veſtigium ſi exhibent plane nullum;

IV intus hauſtae per vias vrinarias ſi facile et cito egrediuntur;

V. cum vino vel cereuiſia commixtae, ſaporem et colorem ingratum ſi iisdem non conciliant;

VI. citius quando ad ignem incaleſcunt, atque cito etiam refrigerantur;

VII. cibos denique incoctos ſi facile emolliunt, eosdemque qualitatibus non imbuunt peregrinis.

SCHOLION II.

Aquae bonitatem probandi PALLADIVS de re ruſtica lib. IX. tit. XIII. hanc ſubiicit notam: In vaſe aeneo nitido ſpargis aquam, & ſi maculam non fecerit, potabilis iudicetur.

Illa aeneo vaſculo decocta, ſi arenam vel l
mum non relinquit, vtilis erit.

§. CCCLIV.

Aquarum collectio intra vaſa plumbea fieri non debet.

Quandoquidem vero limpidiſſimae etiam qualitatibus facile coinquinantur nociuis; hin ciſternis & canalibus plumbeis ne colligantu vel ducantur, prudenti conſilio imprimis er praeuertendum.

f) CAMERARIVS, memor. cent. IX. part. 70, 71.

§. CCCLV.

Aquarum corruptio lege Aquilia prohibita.

Etiamſi damnum ab aliis per corruptio nem ipſius rei, cuilibet etiam indiuiduo iniu ria datum, vindicent leges g), grauiterque la cuum, aquarumque publicarum multo mag & reliquorum potulentorum deſtructores ve falſi, vel veneficii criminis poena ſoleant an maduertere h); nihilo tamen minus ſtagna quorum ſolus latex ſaepe in vniuerſae ciuitat cadit vſum, deteſtabili indulgentia, celebre a exemplum quorundam oppidorum, in piſcina conuertuntur, omnisque generis impuritat bus, inſectis ac pecudibus, horumque ſterco ribus & cadaueribus in iſta permittitur ingreſſu

g) §. 13. I. de L. Aquilia.
h) l. 1. §. 1. ff. de extraord. crimin.

SCHOLION I.

Aquae pluuiales intra ſtagna collectae, ſi prae cipue aliis inſectis aditus ad iſtas non prae cluditur, animalium ouulorum copia ſcaten inſigni, quae cum eſculentis & potulentis i

corpu

corpus noſtrum translata, vel intra canalem alimentarem excluduntur, vel ad ſanguinis etiam maſſam protenſa qualitatem ſuam exerunt nociuam. In eo igitur latitat ratio, quare Medici in iſtiusmodi loco praxin exercentes clinicam, in quouis fere morbo ad verminoſam ſaburram, plerosque incolarum, absque ſexus, aetatis, & vitae generis diſcrimine, endemie diuexantem, reſpicere, atque id quisquiliarum genus, oeconomiae vitali cum maxime infenſum, euertendi lapidem mouere debeant omnem. Kilia haec noſtra, Muſarum ſedes florentiſſima, praeter reliquas praerogatiuas, lymphis abundat puriſſimis, ac prope Sophiae campum, in prato academico Schasſiano, aqua adhuc ſcaturit ſoteria, ad quam, haud longa temporis intercapedine elapſa, e diſſitiſſimis prouinciis languentes accedere dignabantur.

SCHOLION II.

Vinum ſaturninis particulis ſi fuerit adulterinum, inſtillata auri pigmenti & calcis vivae ſolutione, qua merum fucoſum, colorem adſumit atrum, facillime cognoſcitur.

§. CCCLVI.

Aër putredinis cauſſa.

Aër, cuius tanta in corpora noſtra efficacitas, vt vita & mors ab ea pendeat praecipue, ſuffragio Phyſicorum communi, putredinis habetur autor, eundemque inſimul omnis generis quisquilias intra poros ſuos recipere, atque ipſam adſciſcere corruptionem, per eorundem conſtat principia. i)

i) BINNING. cent. I. obſeru. 22. GARMANN. m. m. L. III. §. 80. ZACVT. LVSITAN. P. 2. l. 3. Obſ. 43.

§. CCCLVII.

Corpus noſtrum ab aëre laeditur.

Quemadmodum vero aër exterius corpus noſtrum afficit varie, illudque cum eſculentis & potulentis non penetrat ſolum, ſed pulmonibus etiam attractus ſubſtantialiter ſanguinis ingreditur maſſam; ita ab eodem quoque modis pariter infinitis laeditur.

§. CCCLVIII.

Aëris qualitates diuerſae.

Aër plerumque *calidus*, *frigidus*, *humidus* vel *ſiccus*, atque iterum in compoſitione, *calidus* & *humidus*, *calidus* & *ſiccus*, *frigidus* denique ac *humidus*, atque *frigidus* & *ſiccus* deprehenditur.

§. CCCLIX.

Morbi ſparſi vnde?

Pro hac qualitatum differentia (§. CCCLVIII.), praeter reliquas incolumitates, morbi etiam *ſparſi* vel *ſporadici* ſuam nanciſcuntur originem.

§. CCCLX.

Aër putridus morborum epidemicorum auctor.

Vbi vero vel ex *motus defectu*, quando nimirum platea atque domus ita arcte ad ſe inuicem ſunt locatae, quo minus ſufficientem aëris ventilationem, radiorumque ſolarium receptionem queant admittere (§. CCCXXXIX. — CCCXLI.); vel ſi ex aquarum ſtagnantium

&

& putridarum, coemeteriorum, latrinarumque *vicinitate* (§. CCCXLIII.), vel ex cauſſa quacunque alia (§. CCCXXXV.), ſimul putridis & deſtructiuis particulis fuerit infectus, morbis epidemicis, putridis & malignis facillime praebet anſam. k)

k) Conf. IVL. PALMARIVS, de morbis contagioſ. c. 4. p. 368. WEDEL. theorem. med. P. II. ſect. II. p. 45.

§. CCCLXI.

Morborum ſparſorum praecautio.

Morbi *ſparſi* (§. CCCLIX.) in indiuidua ſuam tantummodo exercent ſaeuitatem; hinc praecautio ab iisdem, ſingulorum etiam indiuiduorum prudentiae relinquitur.

§. CCCLXII.

Ad morborum epidemicorum praecautionem Magiſtratus incitat.

Morbi *epidemici, putridi* & *maligni* (§. CCCLX.), aduerſus hominum genus graſſantur omne, ideoque aëris qualitatem nociuam corrigendi, atque ſtragem praeuertendi perniciosiſſimam, etiam Magiſtratus ſuam interponit ſollicitudinem.

§. CCCLXIII.

Aëris correctio quomodo ſuſcipienda?

Aëris infectio, cauſſa tanti mali praecipua, vel ex motus defectu, vel ab effluuiorum putridorum & malignorum receptione conſurgit (§. CCCLX.); hinc duplici quoque ratione, *motum* nimirum *excitando*, vel *effluuia heteroge-*

terogenea deſtruendo, eiusdem ſuſcipitur correctio.

§. CCCLXIV.

Aër exagitatione purificatur.

Aëris exagitatio (§. CCCLXIII.), vel *vniuerſaliter*, fulmine nimirum ſparſo, crebra tormentorum exploſione ſtrepitante l), campanarum ſonitu; vel *particulariter*, intra naues per machinam ventilatoriam, intra conclauia per Aeoli pilam, furnis anemiis, atque frequenti luminum apertione perpetratur facillime.

l) A. E. L. a 172L. M. Sept. p. 409. 410.

SCHOLION.

Conſuetudinem iſtam, campanarum ſonitu peſtem fugandi (§. CCCXIV.), magis ex pio cultu, iuxta verſiculum:

Laudo deum verum, plebem voco, congrego clerum,
Defunctos ploro, peſtem fugo, feſta decoro;

quam veris naturalis philoſophiae princicipiis, Pontificiis inualuiſſe videtur.

§. CCCLXV.

Rerum infectarum purificatio.

Effluuia ab aëre recepta putrida & maligna (§. CCCLXIII.), per rerum infectarum combuſtibilium accenſionem, incombuſtibilium cum aceto ablutionem, ſuffimigiis m), variisque odoribus foetidis n) proxime deſtruuntur & corriguntur.

m) SALMVTH. C. 3. obſeru. 57. A. N. C. Dec. 3. ann. 5. 6. Obſeru. 196.

n) de BLEGNY, Zod. Gall. a 1680. menſ. Mai. Obſeru. 2.

§. CCCLXVI

§. CCCLXVI.

Commercium cum ſanis, infectis interdicitur.

Enim vero miaſma contagioſum & peſtilentiale non cum aëre atmoſphaerico ſolum communicatur, ſed corporum etiam interſtitia penetrando, iisdemque firmiter adhaerendo, per ſimplicem contactum, malignitatem diffundit ſuam; neue igitur malum ſerpat latius, plenariamque hominum edat ſtragem, praeter iſtam aëris correctionem (§. CCCLXIV. & CCCLXV.), etiam ſanis cum infectis a Magiſtratu interdicitur commercium, resque abiguntur omnes, ſuſpicioni locum quadantenus aperientes.

§. CCCLXVII.

Edictis inhibitoriis ſalus publica ſaepe turbatur.

Salus publica maximam partem ab adiutorio proficiſcitur mutuo; edicta igitur prohibitoria (§. CCCLXVI.) diutius protracta, ne hominum negotia cohibendo, ipſam vitae ſocietatem diſturbent, ad praefinitum quoddam temporis ſpatium ſunt reſtringenda.

SCHOLION.

Magiſtratus etiamſi in praeuertendis morbis contagioſis & malignis officio ſuo ſatisfacere poſſit & debeat, tamen caueat, ne praecautionibus horrificis, acclamationibus veſpillonum, exequias comitantium, oſtiorum & platearum praecluſionibus & obſerationibus, veſtitu proinde peſtilentiali peculiari, qualem Medici Romani, peſte anno 1656. Romae & vicinis locis ſaeviente, Chirurgorum in

in Gallia morem imitati, ſecuritatis ergo induerunt; toga non ex panno vel lana, ſed ex lino compreſſo & complanato erat confecta, ne veneni miaſma facile haereret, quam domi iterum exuerant; pileus, libertatis teſtandi & vmbraculi habendi ergo; larua roſtrata cera obducta, & non faciei ſolum, ſed toti etiam capiti erat obtenta, inque roſtro illo aromata & odoramenta alexipharmaca; perſpicilla ſupra roſtrum laruae erant inſerta; baculum denique in laeua tenebant, quo bubones, carbunculos, ſtigmata & exanthemata alia peſtilentialia contrectabant, aliisque huius commatis terriculis, animis intrepidis, quibus dira iſta lues per ſe plerumque ſolet parcere, horrorem incutiat, latiusque malum diffundat, quam praeuertat.

§. CCCLXVIII.

Morborum diuiſio a duratione deſumta.

Morbi, a duratione, in *acutos*, qui breui & celeriter hominem vel liberant, vel interficiunt, & *chronicos*, intercedente longa temporis intercapedine exitum ſumentes, diſtinguuntur.

§. CCCLXIX.

Morbi acuti non eundem habent exitum.

Acuti morbi (§. CCCLXVIII.) non eundem habent terminum, ſed pro diuerſa materiae morbificae grauitate ſpecifica, citius vel tardius finiuntur.

§. CCCLXX.

Morborum acutorum diſtinctio.

Intuitu huius periodi (§. CCCLXIX.), morbi

morbi acuti, in *peracutiſſimos*, qui tertio vel quarto die iam ſumunt exitum, *peracutos*, qui die terminantur ſeptimo, & *acutos* ſtricte ſic dictos, qui ad diem decimum quartum & vigeſimum extenduntur, ſunt diſiuncti.

§. CCCLXXI.

Hominis ſtatus neuter.

Datur vero & alius ſtatus, quo cauſſa morbifica, intra corpus delitescens, ne actiones quidem laedit, hominem tamen ad impotentiam actiones exercendi naturales ita proxime diſponit, quo minus, perfecte ſanus vel morboſus queat nuncupari.

§. CCCLXXII.

Decidentiae ſtatus quid?

Cauſſa morbifica in corpore latitans (§. CCCLXXI), die ante quadrageſimo commota, morbum prouehit ex *decidentia* acutum; vltra vero hocce temporis ſtadium quieti indulgens, morbum efficit *chronicum* (§. CCCLXVII.).

§. CCCLXXIII.

Dies quadrageſimus morbum acutum determinat.

Dies ergo quadrageſimus morborum acutorum *finem*, chronicorum vero conſtituit *primordium* (§. CCCLXXI. — CCCLXXII.)

§. CCCLXXIV.

Morbi chronici non ſemper contagioſi.

Morbi maligni & peſtilentiales omnes ad *acutorum* accedunt claſſem (§. CCCLXVIII.), *chronici* vero (§. CCCLXXII.), quorum cauſſa minus actiua, & in viſcido plerumque haeret (*Kannegieſſ. Inſtit. Medic. legal.*) K difficul-

difficulter alterabili, acutorum more haud aeque facile in alia ſubiecta ſuam diffundunt virulentiam.

§. CCCLXXV

Quadragenae fundamentum.

Igitur in eo (CCCLXXIV.) rei cardo praecipue vertitur, quare morbo maligno & contagioſo infectos, ad *quadragenarium* vsque, a ſanorum conſortio excludere, edictis inhibitoriis ſit ſancitum (§. CCCLXVI.).

§. CCCLXXVI.

Contagium diſſimulatur.

Quadragenario iſto termino (§. CCCLXXV.) prorogato diutius, hominum negotia valde conturbantur; haud igitur raro ſolet accidere, vt infecti, damnum exinde reſultans deuitandi & praeuertendi cauſſa, ſanorum conſortio ſeſe vel clandeſtine immiſceant, vel ipſum contagium diſſimulent.

§. CCCXXVII.

Contagium diſſimulantes dolum committunt.

Quandoquidem vero dolum eiusmodi committentes (§. CCCLXXVI.), vniuerſae reipublicae ſalutem periclitari efficiunt; hinc cum vitae etiam diſpendio, vel impetuoſe repelluntur, vel in poenam fraudulenter agentium incurrunt grauiſſimam.

§. CCCLXXVIII.

Contagium per corpora non animata etiam propagatur.

Miaſma contagioſum non a corporibus ſolum animatis recipitur, ſed non animatis etiam

etiam adhaereſcit, iisdemque latiſſime diffunditur (§. CCCLXVI.); quid igitur mirum, leges idem illud temporis ſpatium (§. CCCLXXIII.) praefiniſſe, quo in hominis vſum cadere non debeant?

§. CCCLXXIX.

Morbi contagioſi etiam vltra quadragenam in corpore delitescunt.

Morbi contagioſi & peſtilentiales licet inter acutorum militent numerum, & fomitem habeant ſumme volatilem (§. CCCLXX.), per notabile tamen temporis ſpatium, prout nimirum eorundem cauſſa materialis, magis vel minus, viſcido obuoluta, & conſequenter ſpecifice grauior vel leuior deprehenditur (§. CCCLXVI.), intra corpus ſuam poſſunt occultare virulentiam. u)

u) Contagium peſtilentiale per annum in homine latitaſſe, exemplum habet SALMVTHVS, Obſ. 64. c. 1.

§. CCCLXXX.

Quadragenae tempus non ſemper obſeruandum.

Ex adductis (§. CCCLXXIX.) liquido apparet, in vtroque corpore animato & non animato (§. CCCLXXVIII.), contagium peſtilentiale coercendi & declinandi cauſſa, quadragenae tempus neque ſufficere ſemper, neque etiam accurate & exquiſite eſſe determinandum.

§. CCCLXXXI.

Quadragenae venia perpetratur.

Quadragenae ergo veniam poſſunt perpetrare, qui ſeruato & abſoluto acutiſſimorum

termino (§. CCCLXX.), barbam & comam abradere ſinunt, dentes inſuper fricando, vngues reſecando, atque totum reliquum corpus abluendo, exterioris puritatis vera exhibent teſtimonia.

§. CCCLXXXII.

Contagium non corporibus aequaliter adhaereſcit omnibus.

Contagium corporibus non animatis (§. CCCLXXVIII.), pro ſuperficierum differentia, vel intimius admixtum deprehenditur, vel exterius tantummodo iisdem adhaereſcit; hinc vel penitus abigenda & deſtruenda ſunt iſta corpora, vel pro ſubſtantiae varietate, aceto, aqua, vel igne erunt mundificanda, antequam in hominum vſum cadere permittantur.



INSTI-

INSTITVTIONVM MEDICO-LEGALIVM.

CAPVT V.

DE MORBIS DISSIMVLATIS ET FICTIS.

§. CCCLXXXIII.

Res publica ad hominum felicitatem conſpirat.

Res publicae, ἀπὼ τῆς πολεως, quod vocabulum civitatem vel civem notat πολιτειαι dictae, non ad vivendum tantummodo, ſed vt vitam commodam, tranquillam, & ex parte omni beatiſſimam degamus, ſunt conſtitutae; iisdem vero optandum parum haud ſupereſſe, ſingula harum membra, ſi non vna eademque frui poterint felicitate, quilibet, nulli dubitamus, nobiscum affirmabit.

SCHOLION.

Reipublicae ſtatus, ciuitatis ius, vel ciuitatis regimen πολιτέιας nomine ſaepe venire ſolet;

 im-

improprie vero pro *bonis operibus* ſumitur & ponitur.

§. CCCLXXXIV.

Formale Reipublicae.

Ordo immutabilis imperantes inter & parentes, τὸ Rei publicae conſtituit ειδικὸν; vtrique igitur, regnantes & ſubditi, vinculo inter ſe vniti ſunt coniunctiſſimo.

§. CCCLXXXV.

Vindictae culpam deuitandi cauſſa, morbi ſimulantur et diſſimulantur.

Quandoquidem vero regnantis eſt, de ſubditorum ſalute meditari, horumque arbitrium coërcere effrenatum; ita & ſubditi ſacratum illud legum moderamen, aſtuta imprimis morborum *fictione* & *disſimulatione* ſubterfugiendi, haud raro impendent operam.

§. CCCLXXXVI.

Sanitas et morbus quid ſit?

Facultatem iſtam, qua homo actiones naturales rite ſubeundi idoneus deprehenditur, *ſanitatem* nominamus (§. IV.); vi ergo contrariorum, impotentia actiones iſtas, homini ſecundum aetatem & ſexum competentes, exercendi, morbus nuncupatur.

§. CCCLXXXVII.

Morbum ſingere et diſſimulare quid ſit?

Quicunque igitur, facultatem iſtam (§. CCCLXXXVI.) abeſſe vel adeſſe, cum tamen actu praeſto ſit, vel deficiat, dictis & factis mouet ſuſpicionem, illum, morbum *ſimulare* vel

vel *diſſimulare* dicimus (§. CCCLXXXV. & CCCLXXXVI.).

§. CCCLXXXVIII.

Simulatio et diſſimulatio animum ſuſpicatur.

Morbus diſſimulatus, cum actu praeſto ſit, ſimulatus vero plane deficiat (§. CCCLXXXVII.), vtramque *fictionem* & *diſſimulationem*, non ex inſcitia, ſed conatu propoſito, fieri requiritur.

§. CCCLXXXIX.

Morbus ex inſcitia ſimulari nequit.

Hinc inde doli praeſumtio ad illum, qui partium corporis ſui ignarus, cerebro, vel renibus fortaſſe adfectis, ſtomachum pati indicat, vel qui morbi praeſentiam non ſentiens, ſeſe profitetur ſanum, minime quadrat.

SCHOLION.

Tale quid in morbis per adfectionem & conſenſum partium communium, neruorum, tendinum, vel ſanguiferorum vaſorum, raro haud ſolet accidere; ſic ita calculus interiorem vreterum tunicam feriens neruoſam, ob connexionem neruorum renalium cum ſtomachi neruis, perinde ac cerebri preſſione quacunque violenta, per eandem cum ventriculo correſpondentiam, vomitus excitatur.

§. CCCXC.

Morbi alii factis, alii verbis ſimulantur.

Cum morbi vero non omnes mox in ſenſus incurrant, ſed aliqui illorum in partibus latitent profundis, atque adeo ſint diffuſi, vt

ab ipſo Medico, etiam exercitatiſſimo, longa indagatione vix queant proferri; hinc aliud morborum genus factis & geſticulationibus, aliud vero aſtuta narratione effingitur (§. CCCLXXXVII.).

§. CCCXCI.

Cauſſae ſimulationis et diſſimulationis.

Cauſſae, quibus homines morbum ſimulandi & diſſimulandi impelluntur, fere dantur innumerae, eo tamen recedunt fere omnes, quod vel *damnum* praeuertendi, vel *lucrum* captandi animo intendant. x)

x) Confer IOANNES BAPT. SYLVATICVS, de his qui ſimulant morbum, nec non GVIL. HVLD. WALDSCHMIDIVS, de Morbis ſimulatis & diſſimulatis.

§. CCCXCII.

Morbus in diuerſis ſubiectis ſimulatur et diſſimulatur.

Quilibet vero de damno auertendo magis proprio, quam alieno eſt ſollicitus, atque iterum magis alios, quam ſemet ipſum, habet quaeſtui; hinc etiam morbus vel in *ſemet ipſo*, vel in *alio* ſimulatur & diſſimulatur.

§. CCCXCIII.

Quinam praecipue homines morbos in ſemet ipſis ſimulent.

Morbum in ſemet ipſis (§. CCCXCII.) ſimulantes ſunt:

I. Aulae Proceres, qui conuentionibus, legationibus, aliisque muniis publicis, periculo haud vacantibus, ad breue temporis

ris ſpatium ſeſe ſubducendo, euentus ſiniſtri culpam praetexendi ſic ita inuigilant.

II. Criminis conſcii vel ſuſpecti, incarcerationem, torturam, atque ſupplicii genus omne deuitare connitentes.

III. Milites vim armorum auerruncantes.

IV. Serui, laborum, atque cum his ſaepe conſociatorum verberatuum pertaeſi.

V. Mulieres, quarum maritus ab inteſtato diſceſſit, vtero graues ſeſe fingentes.

VI. Virgines, ſub ſpe matrimonii, ingrauidationem & deflorationem praetendentes.

VII. Mendici, coecitatem, epilepſiam, clauditatem, variaque vlcera, ſtipem obtinendi, effingentes.

Diſſimulantes ſunt:

I. Sponſi, impotentiam coniugalem occultantes.

II. Virgines, praegnationem, vel deflorationem obtegentes.

III. Politici, & contagio infecti, morbum celantes, ne Praebendorum faciant iacturam, vel ab hominum commercio excludantur.

§. CCCXCIV.

Morbi in alio ſimulantur.

Morbi in *alio* ſimulantur (§. CCCXCIII.)

I. a liberis, paternae haereditatis cupidine

 fla-

flagrantibus, parentes, vitam diutius nimis protrahentes, pro imbecillibus & inſipientibus declarantibus;

II. a neceſſariis, teſtamenta & codicillos mentis abalienationem teſtatoris, tunc praecipue temporis, quo vltimas dixit voluntates, falſe praetendendo, oppugnantibus & infrigentibus.

Diſſimulantur

ab ipſo artifice, qui, vel HIPPOCRATIS iuramento, aegrotantis arcana non propalam collocare, vel defatigato periculum celare, atque alium morbum effingere, prudentiae dictamine obſtringitur.

§. CCCXCV.

Morbi ſigna habent pathognomonica, vel communia.

Etiamſi quilibet fere morbus ſigna ſua habeat modo *fallacia*, modo *certa*, *propria* & *inſeparabilia*, atque aliqui morbi ratione ſexus, temperamenti, vitae generis, temporis, diſpoſitionis haereditariae, aliarumque circumſtantiarum accidentalium, huic vel illi indiuiduo magis vel minus ſint proprii; absque tamen habito ad iſtas reſpectu, male ac doloſe agentes, fraudem praetexendi acrius incumbunt omnes.

§. CCCXCVI.

Morbi difficulter ſimulantur et diſſimulantur.

Quemadmodum vero morborum diagnoſis ipſi artifici ſaepe negotii parum haud faceſſit

ſit; ita & rei huius penitus ignaris impotentiam vel actu praeſentem celare, vel non praeſentem per notabile temporis ſpatium in ſemet *ipſo* vel in *aliis* effingere (§. CCCXCIII. & CCCXCIV.), maxime erit operoſum.

§. CCCXCVI.

Delicta in culpoſa et doloſa diſpeſcuntur.

Facta externa, illicita, & punibilia, contra legum prohibitionem ſponte ſuſcepta, propter quae morbi imprimis ſimulantur (§. CCCXCIII.), *delictorum* veniunt nomine, atque in *vera*, & *in quaſi delicta* diſtinguuntur; illa delinquendi conatum ſubminiſtrant, hinc *doloſa*, haec autem culpam tantummodo inferunt, vnde *culpoſa* nuncupantur.

§. CCCXCVIII.

Rationis vſu deſtitutus delinquere non poteſt.

Actiones autem hominum morales, mentis imperio ſunt ſubiectae, hinc delicta *vera* (§. CCCXCVII.), ab iſtis, qui facultate moraliter agendi, pleno conſequenter intellectus & rationis vſu deſtituuntur, perpetrari nequeunt.

SCHOLION.

Propterea dormientes, extra forum militare, in eo non delinquere dicunt, ex. gr. noctambuli, ſomnambuli quod in ſomno fecerunt; delinquunt tamen & illicite agunt, cum ſomnum capiant eo tempore, quo vigilias agere fas erat, e. gr. nutrices infantem ſomno interficientes, praebendo occaſionem, quam auertere poterant. THOMASIVS

SIVS de Iure circa Somnum & inſomnia c. 5. §. 15.

§. CCCXCIX.

Rationis vſu deficiente ceſſat delinquendi conatus.

Ergo facultas iſta rationalis (§. CCCXCIII.) ſi actu praeſto eſt, delinquens laeſo, damni reparationem exigendi, atque crimen perſequendi praebet poteſtatem; illa vero deficiente, laedendi & delinquendi etiam deficit conatus, conſequenter & crimen perſequendi iura ceſſant.

§. CCCC.

Doloſe agentes delinquendi conatum occultant.

Male igitur & doloſe agentes, delinquendi *conatum* (§. CCXCCVII — CCCXCIX.) obtegendi, atque vindictae culpam deuitandi haud raro impendent operam; hinc tempore, quo crimine ſeſe implicauerint, rationis vſu fuiſſe deſtitutos, aſtuta calliditate effingunt.

§. CCCCI.

Ratiocinatio triplici vitiatur modo.

Facultas moraliter agendi (§. CCCXCVIII. — CCCC.) triplici vitiatur modo, vel

I. *deprauatur*, id quod contingit in delirii genere omni; vel

II. *imminuitur*, in ſtupiditate, ſeu ingenii tarditate; vel

III. *aboletur*, in ſtultitia, amentia & fatuitate, vel in ſenibus, animi viribus ex cauſſarum naturalium ordine decreſcentibus & deficientibus.

§. CCCCII.

§. CCCCII.

Delirium quid ſit?

Phantaſiae & iudicii perturbationem, qua homo peruerſas & alienas de rebus concipit ideas, atque ſecundum iſtas, actiones inſtituit, *delirii* inſignimus nomine (§. CCCCI.).

§. CCCCIII.

Delirium in acutum et chronicum diſtinguitur.

Delirium (§. CCCCII.), in *acutum*, ſeu breuioris periodi, & *chronicum*, ſeu diuturnum diſtinguimus. Vtrumque vel *ſymptomaticum*, ſeu morbis ſuperueniens aliis, vel *idiopathicum*, absque morbo praegrediente infeſtans, deprehenditur.

§. CCCCIV.

Delirium acutum idiopathicum poenam minuit.

Delirium breuioris periodi *ſymptomaticum* (§. CCCCIII.) febribus ſuccedit acutis, *idiopathicum* (§. CCCCIV.), ebrietatem, vel iracundiam pro ſua agnoſcit cauſſa; quae furoris ſpecies, mentem ſi penitus excludit, culpam minuit, ac poenae tantummodo extraordinariae concedit locum. a)

a) BOEHMERI ff. L. XLVII. tit. I. §. IV. IX. CARPZOVIVS qu. 146. n. 32. ſeqq. & qu. 147. n. 41. ſeqq.

SCHOLION.

Ebrietas in foro ciuili certis conditionibus eximit a culpa, ſi nimirum *mentem excludit*; ſi ad *delinquendum non fuerit accerſita*; ſi ignorauerit delinquens *propenſionem ſuam* ad iſta delicta; ſi non *data opera ad ebrietatem* perductus; ſi denique ad *mentem rediens grauiter deteſtatur*

deteſtatur delictum perpetratum. BOEHME
ff. Lib. XLVII. tit. I. §. 9.

§. CCCCV.

Delirium acutum ſymptomaticum difficulter ſimulatu

Delirium *acutum* ſymptomaticum, pro ter febrem, quam comitem habet indiuulſu (§. CCCCIV.), aliaque ſymptomata conſociat absque facillima fraudis recognitione nequ quam ſimulari poteſt.

SCHOLION.

Artis quidem auxilio iſtiusmodi deliria para tur, per *ſuccos ſpirituoſos vegatabilium inebria uos*, ſuperne vel inferne adhibitos b) p *narcotica ſtupefactiua*, ſpiritibus animalib torporem conciliantia; per *cicutam aqu ticam* c); pharmaco iſto *phantaſtico* BARTH LETTI d); *radice* ac *ſemine hyoſcyami* e *cortice Peruuiano*; per *opiata* f) & *ma tialia*, de quibus BARTHOLETTVS aſſer quod deliria proferant ridicula, breuiori t men periodo, a vero delirio, acutis mo bis obueniente, apprime facile diſcernunt g): immo & ipſis delirantibus, ſolo *ac* hauſtu, ſuppetias ferre poſſumus derepent

b) RHODIVS, cent. I. obſeru. 38.
c) KIRCHERVS, ſcrutinio peſtis.
d) de reſpirationis vitiis l. 5. c. 3. p. 405.
e) BORELLVS, centur. 4. obſ. 35.
f) M. N. C. dec. I. ann. 2. obſeru. 69.
g) l. c.

§. CCCCVI.

Dilirium chronicum in permanens et tranſiens diſtinguitur.

Delirium chronicum (§. CCCCIII.), v

permane

permanens, vel *tranſiens*, ſeu per interualla deprehenditur recurrens; vtrumque vel iam ante delictum perpetratum adfuiſſe, vel illi demum ſuperueniſſe effingitur.

§. CCCCVII.

Delicto ſuperueniens delirium, poenam impedit.

Enim vero Iurium decretis, non delictum ſolummodo *culpoſum* condonatur (§. CCCXCVII. — CCCC.), ſed delirium etiam, delicto capitali ſuperueniens, poenam, ob delictum ante delirium commiſſum infligendam, impedit h). Interim tamen & poena executionem, ſi delirium illud *interualla* oſtendat *dilucida*, locum habere teſtatur CARPZOVIVS i).

h) BOEHMERI ff. L. XLVII. Tit. I. §. 6.

i) Proc. crim. part. 3. qu. 145. n. 33. THOMASIVS Diſſ. de praeſumtione furoris & dementiae.

§. CCCCVIII.

Medici officium iuxta delirii disquiſitionem.

Ideoque Medico, qui in morbos ſimulatos inquirere a Iudice committitur, duplex incumbit officium, accurate nimirum diſcernere:

I. num ante delictum perpetratum, verum *delirium* vel praeſto fuerit, vel demum ſuperuenerit (§. CCCCVI.); numque

II. delirium *aduentitium* vera & dilucida ſua habeat interualla (§. CCCCVII.).

§. CCCCIX.

Delirium chronicum eſt vel maniacum, vel melancholicum.

Vtrumque delirium chronicum *permanens* &

& *tranſiens* (§. CCCCVI.), vel furorem habe[illegible]
conſociatum, vt in *mania*, vel abſque tali in[illegible]
feſtat homines, ſicuti in *melancholia.*

§. CCCCX.

Delirium furibundum in alio non effingitur.

Delirium *furibundum*, (§. CCCCIX.) quem[illegible] admodum propter ſymptomatum ſyndromem in ſe *ipſo* difficillime effingitur; ita & praete[illegible] voluntatem, quum furentis actiones ſpont[illegible] cadant in ſenſus, nemini obiicitur *alii.*

§. CCCCXI.

Signa delirii vnde deſumenda?

Perturbatae rationis ſigna, vel ex aegro[illegible]tantis relatione deſumuntur, vel aſtuta Medi[illegible]corum *indagatione* dignoſcuntur.

§. CCCCXII.

Delirantes confuſa referunt.

Aegrotantium *relatio*, ſicuti generatim Me[illegible]dicorum interrogatis non adaequate ſempe[illegible] reſpondet, ita & ſpeciatim in delirantibus con[illegible]fuſa admodum deprehenditur.

SCHOLION.

Fatui, *fando*, id eſt loquendo, ſeu verborum ordine, ſuam manifeſtant fatuitatem; hin[illegible] Iuriſconſulti ex verbis perinde ac factis quibus quis mentis cogitata exprimer[illegible] neſcit, fatuitatem & dementiam conſues[illegible]cunt praeſumere. MENOCH. Conſ. 82. n[illegible] 213. Vol. I. BARTOL. de Teſt. n. 98.

§. CCCCXIII.

Dilirium in vagum et determinatum diſtinguitur.

Delirantium ideae ſubiecto plerumque

vn

vni haerent infixae; hinc delirium, in *vagum* & *determinatum*, commode diſtinguimus. Ideoque neceſſum eſt, Medicus vt interrogationes ſuas, ſecundum illorum cogitationes mentis conceptas inſtituat.

CONSECTARIVM.

Vbi igitur iſtiusmodi morbo oppreſſi reſponſiones crebrius variant, delirii *ſimulati & ficti* proxime mouent ſuſpicionem.

§. CCCCXIV.

Narrationes inordinatae facile poſſunt ſimulari.

Narrationes delirantium inordinatas (§. CCCCXIII.), laſciuas, geſticulationes, atque actiones alias ſolutas, iratas, furentesque, ſanus quilibet poteſt effingere; propterea ex ſignis aliis, morbo huic propriis, nulloque artis ſubſidio imitandis, veri delirii *furibundi* praeſentiam coniecturare licebit.

§. CCCCXV.

Furoris ſigna propria.

Spiritus animales, qui praecipuum mali huius fomitem conſtituunt, motu quaſi fermentatifico in partes corporis rapidiſſime influunt, iisdemque *incaleſcentiam* praeternaturalem, ac *robur* illud *lacertoſum*, quo furioſi catenas frangendi ferreas, ſibique libertatem vindicandi, grauiſſimamque frigoris inclementiam absque noxa perferendi capaces redduntur, conciliant.

§. CCCCXVI.

Signa delirii ficti.

Quicunque igitur verba profert *ſtolida,*

laſciua, immo & *blaſphema*, ſeque *indomitum* gerit (§. CCCCXIV.), neque tamen frigoris aſperitatem poteſt ſuſtinere, vel robore corporis praeualido deſtituitur (§. CCCCXV.); ille delirium furibundum ſimulaſſe, in ſuſpicionem merito incidit.

§. CCCCXVII.

Nonnulla etiam ſigna ſufficiunt ad delirii probationem.

Aſt enim furentes quum frigoris aſperitatem aeſtiuo tempore experiri nequeant, iisdem fides habenda, ſi praeter corporis illud robur (§. CCCCXV.), deformem faciem, oculosque rubore ſuffuſos exhibeant, neque etiam quieti indulgeant, ſed ad notabile temporis ſpatium dies noctesque vigiles perducant.

§. CCCCXVIII.

Morbi chronici ſua habent tempora.

Morbi chronici, etiamſi diutius protrahantur (§. CCCLXVIII.), acutorum tamen morborum adinſtar ſua habent ſtadia, ſecundum quae incrementum ſumunt, atque iterum decreſcunt.

§. CCCCXIX.

In delirio chronico artifex ad tempora debet reſpicere.

In delirio chronico, donec illud ad ἀκμὴν peruenerit, vigent omnia; illo vero decreſcente, ſymptomata etiam quaelibet (§. CCCCXIV. & CCCCXV.) a ſua remittunt vehementia. Probe igitur diſpiciat Medicus, quo tempore fuerit

fuerit accerſitus, ne delirio iam iam declinante, vel dilucida interualla ponente (§. CCCCVII.), innocentem, doli pronunciet reum.

§. CCCCXX.

Delirium furibundum in melancholiam deſinit.

Motu ſpirituum inordinato & fermentatiuo (§. CCCCXV.) placato aliquantulum, etiam morbus a ſua vehementia haud parum deflectit, immo in *melancholiam*, ſeu delirium absque *furore*, (§. CCCCIX.) non raro deſinit.

§. CCCCXXI.

Delirium maniacum et melancholicum eadem ſigna habet propria.

Ergo delirium *maniacum* & *melancholicum* non niſi gradu inter ſe diſcrepant, ac morbus vterque, praeter furorem, ſigna eadem habet *pathognomonica* (§. CCCCIX. — CCCCXX.).

§. CCCCXXII.

Delirium ſaepe natiuum deprehenditur.

Etiamſi in malo vtroque, corporis perturbationes, mentem, atque iterum turbati mentis conceptus, corpus inuicem impediant, actiones naturales quominus queant perfici; ſaepius tamen in melancholia, absque corporis laeſione praegrediente, inordinati mentis conceptus etiam ad liberos transferuntur.

CONSECTARIVM.

Hinc praeſumtio delirii *non ſimulati* & *ficti* pro illo militat, in cuius vultu moeroris ſigna iam a puero fuerint conſpicua, vel qui a proſapia melancholica ortus, in eundem incidit morbum.

§. CCCCXXIII.

Mentis imbecillitate laborantes ad actus forenſes non admittuntur.

Stupiditas, ſeu ingenii tarditas (§. CCCCI.), rationis quidem vſum non penitus excludit; quoniam vero mentis imbecillitate laborantes, res haud ita facile apprehendunt, neque de iisdem ideas ſibi efformant diſtinctas: hinc ad varios etiam actus forenſes, nimirum

I. vltimas voluntates ſignificandi, i. e. teſtamenta & codicillos condendi;

II. iurandi;

III. fidem interponendi, atque teſtes producendi, de iure inhabiles cenſentur k).

k) BOEHMERI ff. L. XXII. tit. V. §. 3.

§. CCCCXXIV.

Reminiſcentiae defectus, ſtupiditatis crinomenon.

In indaganda igitur ratiocinii imminutione (§. CCCCXXXIII.), Medicus ad *reminiſcendi* facultatem quam maxime reſpiciat; hac enim deficiente, quippe qua mens prius percepta denuo percipit, prius aeſtimata ac iudicata denuo aeſtimat & iudicat, idearum comparatio & ordinatio quoque deficit.

SCHOLION.

Ex iſtis rationibus, memoria deſtituti ſemper manent *pueri*; *ſenes* vero, reminiſcendi & recordandi facultate ex cauſſis naturalibus orbati, *ſtolidi* ac *inſipidi* euadunt.

§. CCCCXXV.

Reminiſcentia diſtituuntur amentes.

Quicunque igitur praeterita facillime in memo-

memoriam reuocandi pollent facultate, (§. CCCCXXIV.), illi *fictae* & *ſimulatae amentiae* proxime mouent coniecturam.

§. CCCCXXVI.

Media veritatem eruendi.

Doloſe agentium facinora non ſemper palam patent, ſed promeritam poenam declinandi, verſuta calliditate ab iisdem interdum obteguntur (§. CCCLXXXV.); hinc legum vindices, veritatem eruendi, etiam media violenta, *territionem* nimirum *verbalem* & *realem*, *delinquentis ad carnificinae locum transportationem*, *tormentorum praemonſtrationem*, *manuum lictoris apprehenſionem*, *veſtium detractionem*, *corporisque denudationem*, ipſam denique *tormentorum applicationem*, pro indicatorum probabilitate, modo *grauiorem*, modo *leuiorem*, ne videlicet eruendae veritatis modus ipſa poena ſit grauior l), neque tamen ob crimen aliud, quam cui mortis, vel adflictiua corporis poena imponenda m), in ſubſidium vocare adiguntur.

l) BEYER in comment. ad conſt. criminal art. 20. poſ. 2.

m) CARPZOVIVS in proceſſ. crim. P. 3. qu. 119.

§. CCCCXXVII.

Imbecilles a tortura eximuntur.

Aſt enim terror, reliquorumque cruciatuum genus omne (§. CCCCXXVI.), cum iam ſupplicii ſubeat ſpeciem, atque morboſae ſenſibilioriſque conſtitutionis ſubiecta, ſine notabili ſanitatis ac vitae diſpendio poenas

 iſtius-

iſtiusmodi adflictiuas perferre nequeant, leges, in caſu dubio nocenti etiam indulgentes, cumque ipſa confeſſio, in cauſſa criminali, condemnationem non aliter operetur, niſi de corpore delicti iam conſtet, languentes & imbecilles, vel *omnimode*, vel *ad temporis ſpatium*, vel *a certis quibusdam* tantummodo ſupplicii huius gradibus, voluere exemtos n).

n) L. 7. ff. de quaeſt. & C. crimin. C. art. 59.

§. CCCCXXVIII.

Simpliciter quinam excipiantur a tortura?

Ergo a torturae genere omni ſimpliciter excipiuntur (§. CCCCXXVII.) qui facultate moraliter agendi, pleno conſequenter intellectus & rationis vſu deſtituuntur (§. CCCXCVIII.), *melancholici*, *maniaci*, *amentes*, *ſtolidi*, quibus & a natiuitate *ſurdi* & *muti*, quum auditus praecipuus ſit mentis aditus, per quem intellectus informatur, merito accenſentur.

§. CCCCXXIX.

Morbi periculoſi torturam omnimode declinant.

Praeter haec (§. CCCCXXVIII.) torturam omnimode declinant morbi, qui cum euidenti vitae diſpendio ſunt coniuncti, & vel a ſola territione, multo magis & ipſa tormentorum applicatione, exacerbationem patiuntur inſignem.

§. CCCCXXX.

Morbi torturam ſimpliciter declinantes recenſentur.

Inter partium internarum conſtitutiones prae-

praeternaturales, vtraque *hectica*, pulmonalis & abdominalis, *aſthma* humidum & ſiccum, *cordis palpitationes* vehementes, *haemoptyſis, adfectus ſoporoſi, apoplectici et epileptici*, *hydrops, tympanites*, *calculus* renum & veſicae, *mictus cruentus*, viſcerum *indurationes* & *corruptiones*, absque ſanitatis vlteriori euerſione ac vitae periculo, territionem, vel tormentorum applicationem (§. CCCCXXVII.), haud quaquam admittere poſſunt.

§. CCCCXXXI.

Morbi ad tempus torturam diſtrahentes.

Vtramque, territionem atque tormentorum applicationem, ad certum quoddam temporis ſpatium tantummodo diſtrahunt (§. CCCCXVII.), *febres continuae* & *intermittentes*, vteri atque narium *haemorrhagiae*, immo & *fluxus haemorhoidum* immodicus, *arthriticorum* & *podagricorum* paroxysmi, licet exempla in contrarium queant proferri, flagellis & fuſtibus mitigatos, imo profligatos penitus eſſe dolores podagricos, tamen ob metuendam materiae arthriticae a viliori ad interiores nobiliores corporis partes retroceſſionem, minimum paroxysmi tempore, illis erit parcendum.

§. CCCCXXXII.

Peculiaris corporis conſtitutio torturam auertens.

Inſuper etiam corporis quaedam peculiaris *diatheſis*, qua homines *macilenti* ac *debiles*

 ad

ad lipothymicos adfectus, *obeſt* ad pulmonum obſeſſiones, ac inde pendentem anheloſam & aſthmaticam reſpirationem, ipſamque ſuffocationem diſponuntur, *menſtruatae*, vteri haemorrhagiam deleteriam facile incurrunt, *grauidae* foetui noxam inferunt, *puerperae* lethaliter vulneratis, a quaeſtione exemtis, aequiparandae o), & *lactantes* vitioſa lactis ſuctione infanti nocent, torturae genus omne vel ſuſpendit, vel penitus deflectit (§. CCCCXVII.).

o) L. 3. ff. de poenis BOEHMERI diſſ. de tort. valetud.

p) FARINAC. quaeſt. 41. n. 79. MATTH. STEPH. art. 59. ordin. crimin.

§. CCCCXXXIII.

Senes et pueri a tortura exemti.

Aetatis pariter, *teneriori* quippe, vel *decrepita* aetate conſtitutis, ob epilepticorum & apoplecticorum inſultuum metum, imprimis tamen ob mentis imbecillitatem, qua inſipidis comparantur (§. CXXIV.), indulgent leges q), habenda eſt ratio.

q) CARPZOVIVS quaeſt. 118. n. 29. FARINAC. quaeſt. 41. n. 24.

SCHOLION.

Infantes, ſine ſexus etiam diſtinctione, infra annum XIV. conſtituti, a poena quidem ordinaria eximuntur, l. 2. ad leg. CORNELIAM de ſicar. l. 22. ad leg. CORNELIAM de fals. I. P. S. L. II. art. 65. C. C. C. art. 164. Quoniam vero aetates non ſecundum annorum numerum computandae (XCVII.); ita & in vtraque, puerili & ſenili, *malitia* annos ſupplere poteſt. CARPZOVIVS Pr. crim. P. 3. quaeſt. 143. n. 81.

§. CCCCXXXIV.

§. CCCCXXXIV.

Membrorum torquendorum conditio conſideranda.

Leges, quum torquendum, vel innocentiae, vel ſupplicio omnimode ſeruatum velint, tormentorum vero gradus & genera dentur diuerſa (§. CCCCXXVI.), ad illorum qualitatem, perinde ac membrorum inquiſiti conditionem, reſpicere imperant, ne in ea videlicet parte, quae ſanitate deſtituitur, cum vitae diſcrimine torqueatur [r]).

r) C. C. C. art. 59. & CARPZOVIVS diſſ. de tort. valetud.

§. CCCCXXXV.

Quinam homines ſcalae non imponendi?

Hinc praeter *hernioſos*, *gibboſos* & *curuos*, etiam homines, quorum crura *luxata* vel *fracta* fuerint quondam, ſcalae nequaquam ſunt imponendi; qua violenta quippe articulorum, totiusque corporis contorſione & expanſione, *hernioſi* inteſtinorum ſtrangulatui & incarcerationi, *gibboſi* ſuffocationi ſubiiciuntur, *incuruata* vero, *luxata* & *fracta* membra denuo rumpuntur, dimouentur atque e ſitu ſuo naturali recedunt.

§. CCCCXXXVI.

Quinam ab ocrearum applicatione eximendi?

Quorum crura tumoribus *oedematoſis*, *nodis*, *gummatibus gallicis*, vel *vlceribus ſcorbuticis* ſunt obſeſſa, ab ocrearum ferrearum applicatione eximuntur; quibus vero vngues, vel digitorum apices *pernionibus* & *panaritio* deſtructi, illi

illi forcipum & polletrorum adhibitionum, absque cariei atque ſphaceli metu, perferre nequeunt.

SCHOLION.

Non ſolum ob metuendum illud ſanitatis periculum, ex praepoſtera tormentorum applicatione reſultans, ſed propter exempla etiam innumera, quibus inſontes, perferendis iſtis cruciatibus minus idonei, capite fuerint damnati, criminis vero rei & conscii, ſuſtinendo dolores atrociſſimos, poenam adflictiuam declinauerint omnem, in his noſtris terris, lex regia, ſpeciem tormentorum qualemcunque, intentione nunc aboleuit ſaluberrima.

§. CCCCXXXVII.

Poenae quoque adflictiuae quibusdam non imponuntur.

Idem omnino illud (§. CCCCXXXVI.) de ipſis *poenis* corporis *adflictiuis* valet, quibus partes iam morbo correptae, vel deſtructae, de iure non afficiuntur; adeoque *polypo*, vel interioris naſi *exulceratione* laborantibus, nares haud quaquam ſunt reſcindendae; qui vero *ſtrumis*, *parotidibus*, *ſcrophulis*, vel *fiſtula* corripiuntur *lachrymali*, aurium reſecationem, digitorum tandem ac manuum amputationem, articulari morbo laborantes, absque vitae diſpendio nequaquam admittunt.

§. CCCCXXXVIII.

Symptomata obuenientia torturam auertunt.

Neque vero ſoli adfectus antecedentes & prae-

praeſentes (§. CCCCXXVIII. - CCCCXXXVII.) intolerabile illud ſupplicii genus praeuertunt, ſed ſub ipſa etiam tortura talia ſymptomata obueniunt, nimirum *ſpuma* ante os, *motus conuulſiui*, *ſomnolentia* cum *ſtertore*, *ſoporoſi* adfectus prodromus, *ſpirandi difficultas, loquelae abolitio, epilepſiam, apoplexiam* & *hemiplexiam* in propinquo eſſe indicans, quae, ſi a tormentorum vexa non penitus liberant, tamen eandem ad notabilem temporis intercapedinem diſtrahunt atque ſuſpendunt s).

s) CARPZOVIVS proceſſ. crim. p. 3. qu. 3. n. 42.

§. CCCCXXXIX.

Locus ad cuſtodiam minus idoneus a vinculis liberat.

Ita & *locus* ad cuſtodiam minus accomodatus & intolerabilis, aëris videlicet atque radiorum ſolarium acceſſionem haud quaquam permittens, ſubterraneus, humidus perinde, foetore, aliisque vaporibus, vel inſectis repletus, ſanitati quippe maximas ſtruens inſidias, ac in poenae genus degenerans, vinculis atque carcere eripit incluſos t).

t) CARPZOVIVS, l. c. qu. 130. C. C. C. l. 8. §. 9. art. 11. de poen.

§. CCCCXL.

Legislatores morborum fictione decipiuntur.

Sceleri addicti homines, hacce legum condonatione (§. CCCCXXXVIII.) (CCCCXXXIX.) male ita & peruerſe vtuntur, vt vel iudicem oculatiſſimum, eandem perinde corporis conditionem, qua a tormentorum tolerantia eximuntur, effingendo, haud raro circumueniant.

§. CCCCXLI.

§. CCCCXLI.

De morbo ſimulato et diſſimulato iudicium a Medico requiritur.

Propterea cauſſam cognoſcentes, a Medico, qui praecedentia, praeſentia, conſequentia, ac peculiarem cuiuslibet ſubiecti conſtitutionem callere, curateque debet perſpicere, morbus num *verus* vel *fictus* ſit depraedicandus, iudicium deſiderant.

§. CCCCXLII.

Surditas ſimulatur.

Surditas in hunc finem ſimulata (§. CCCCXXVIII.), vel *congenita*, vel *aſcititia* deprehenditur; illa *aphoniam* ſemper habet comitem; haec autem absque ſimultanea loquelae abolitione, vel morbo praegredienti alii ſuas debet natales, vel primario & per ſe corripit hominem.

§. CCCCXLIII.

Surdi a tortura eximuntur.

Cumque a natiuitate *ſurdi* & *muti* ſtupidis ac inſipidis ſint adnumerandi (§. CCCCXXVIII.), horumque hominum teſtimoniis & confeſſionibus nulla fides habenda; hinc etiam a tortura ſimpliciter eximuntur u).

u) L. 10. C. qui teſtam. fac. poſſ. & HERT. opuſc. vol. I. tit. III. §. 414.

SCHOLION.

Quemadmodum vero coeci ex intentione in delicta incidentes, & in pari cum videntes malitia verſantes, perinde vt videntes puniuntur; ſic etiam ſurdus & mutus, cui ſenſus commu-

communis & intellectus non deficit, ex delicto ad poenam interdum obligatur. Eiusmodi mutum & ſurdum ſuſpendio affectum teſtantur BERLICH. P. 5. concl. 44. num. 27. & FINCKELTHAVS Obſ. 45. n. 22.

§. CCCCXLVI.

Signa ſurditatis.

Num vero vtriusque, *auditus* & *loquelae* abolitio (§. CCCCXLII.), ſimulata & ficta ſit, vel ex horum adfectuum conſociatione, quippe qua poſterior ſemper excipit priorem (§. CCCCXLII.), vel ex mentis imbecillitate (§. CCCCXLIII.), vel ex neceſſariorum, aliorumque, qui cum tali homine rem habuere, teſtimoniis facillime cognoſcimus.

§. CCCCXLV.

Surditas et aphonia quomodo dignoſcenda?

Surditas & aphonia *ſymptomatica*, *paralytica* (§. CCCCXLII.), a morbo praegrediente apoplectico vel epileptico ducens originem, tormentorum applicationem omnimode declinat, huiusque fictio vel ex aliorum ſymptomatum concomitantium praeſentia, vel ex inquiſiti aſtuta & ſimulata animaduerſione, vel ex remediorum acrium morſicantium, ori atque auribus applicatorum, effectu cognoſcitur.

SCHOLION.

Radix ari recens, non ſiccata, maſticata, linguam ferientibus reliquis praeripit palmam, eamque efficacitate ſua incidente & aperiente *mutos vere*, vel *ſimulate* tales, loquaces reddidiſſe, per experientiam ſumus edocti.

§. CCCCXLVI.

§. CCCCXLVI.

Surditas et aphonia a tortura non ſemper liberat.

Primario ac per ſe infeſtans *ſurditas* & *aphonia* (§. CCCCXLI.), modo de reliquo ſui homo ſit compos, & veritatem vel ſignis diſtinctis vel ſcriptis poterit indicare, torturam minime praeuertit v).

v) STRYCKIVS, de iure ſenſuum.

§. CCCCXLVII.

Aſthmatici et hectici a tortura exemti.

Phthiſici, hectici, aſthmatici, quorumque viſcera tabe diſturbata (§. CCCCXXX.), ne territionem quidem x), multo minus totius corporis contorſionem, expanſionem, vel violentiam qualemcunque aliam, absque vitae diſcrimine perferendi pollent virtute.

x) RIEDLINVS lin. med. ann. 2. menſ. Iun. obſ. 19. 29.

§. CCCCXLVIII.

Terroris effectus.

Terrore, humores motu furiali interiora verſus reprimuntur; vnde viſcerum iam iam obſeſſorum maior oppilatio, vaſa praeternaturaliter extenduntur; cumque impetui humorum adfluentium reſiſtere nequeant, rupturam patiuntur.

§. CCCCXLIX.

Aſthmatici et phthiſici a tortura laeduntur.

Ita eiusmodi homines iam in ipſo mortis limine conſtituti (§. CCCCXLVIII.), in ius rapti, reliquo ſupplicii genere omni non percelluntur ſolummodo, ſed eorundem quoque viſcera,

ſcera, cauſſa interueniente nulla alia, grauiter offenduntur.

§. CCCCL.

Hecticae ſigna.

Hectica pulmonalis (§. CCCCXXX.), praeter corporis extenuationen, febremque lente graſſantem, ex tuſſi ferina, reſpiratione difficili & anheloſa, nec non materiae purulentae, plus minusue ſanguinolentae, reiectione, cognoſcitur.

SCHOLION.

Etiamſi exempla proſtent, homines hectica vtraque, pulmonali & abdominali, absque corporis conſumtione fuiſſe correptos, BARTHOLINVS C. 7. hiſt. 14. poſterioris tamen praeſentiam, ex ſola hacce corporis gracilitate, lentam febrem comitem habente, coniecturare licebit.

§. CCCCLI.

Aſthmatis ſigna.

Aſthmaticam reſpirationis praecluſionem (§. CCCCXXX.) veram ſeu fictam ſubeſſe, vel ex ſubiecti *aetate*, qua ſenes huic morbo magis obnoxii iunioribus, vel occurentium ſymptomatum concurſu, laborioſa nimirum & anxia reſpirandi facultate, tuſſi ſonora, modo humida, modo ſicca, atque praecordialibus anxietatibus, dignoſcimus

§. CCCCLII.

Aſthma ſimulatum quomodo cognoſcendum?

Dolo inſtructi, dicta iſta ſymptomata (§. CCCCLI.) aemulandi, mira quidem pollent calli-

calliditate; facile tamen, deceptores crebrae aëris mutationi exponendo, horumque nares vaporibus acribus, grauiter quibus offenduntur, irritando, ad fraudis detectionem peruenire poſſumus.

§. CCCCLIII.

Cordis palpitationis ſigna.

Cordis palpitatio (§. CCCCXXX.), fomitem habens tam diuerſum, vt perinde a vermibus, vel ipſi cordi, vel eius capſulae adhaerentibus y), nec non a pericardii lympha, maiori vel minori quantitate collecta, huiusque acredine, qualis in hypochondriacis, ſcorbuticis & venerea lue infectis praeſto eſſe ſolet atque muſculorum & neruorum cordi propinquorum irritatione quacunque alia deriuari poterit, vel *pulſus apprehenſione*, vel *manus applicatione* ad ipſum cor, commode expiſcamur z).

y) GABELCHOVER centur. 3. curat. 1.
z) PETR. CASTRO de peſte Neapolit. Rom. p. 89. HOEFFERVS in Herc. med. p. 89.

§. CCCCLIV.

Cordis palpitatio ſimulata.

Praeter cauſſas iſtas (§. CCCCLIII.), cordis palpitatio etiam per partium vicinarum vel remotiſſimarum, brachiorum nimirum & tibiarum, conſtrictionem, ſanguinis motum intercipiendo, producitur; cuius fraudulenta deceptio tibiis laxatis, atque reliquo corpore denudato, mox ad oculum peteſcit.

§. CCCCLV.

§. CCCCLV.

Vomitus cruentus ac haemoptyſis a tortura eximit.

Sanguis e variis promanat fontibus, modo ex gingiuis, modo ex palato, naribus, faucibus, ventriculo & pulmonibus eiicitur; prae reliquis vero excretionibus ſanguinolentis, medicam conſiderationem meretur, ac a tormentorum applicatione eximit (§. CCCCXXX.) quae immediate vel e ventriculo, vel e pulmonibus, plus minuſue impetuoſe contingit; haec *haemoptyſeos*, illa *vomitus cruenti* venit nomine.

§. CCCCLVI.

Sanguinolentae excretiones ex reiectionis modo cognoſcendae.

Vtramque iſtam ſanguinis reiectionem (§. CCCCLV.) dignoſcendi, vel partis adfectae *differentia*, vel excretionis *modus* probe erit diſcernendus.

§. CCCCLVII.

Varius datur excretionis modus.

Hinc inde ſanguinem ſola *exſpuitione*, absque tuſſi reiectum, ex oris cauitate, gingiuis, linguae lateribus, e buccis, vel palato proſilire; qui vero leni *ſcreatu* excernitur, illum e naribus, vel faucibus; qui *tuſſi clangoſa* & *aſpe ra* ſeſe prodit, e pulmonibus; qui denique *vomitione* exploditur, e ventriculo ſcaturire, ſumus edocti.

§. CCCCLVIII.

Soporoſi adfectus motus et ſenſus abolitionem habent coniunctam.

Soporoſis, apoplecticis, epilepticis (*Kannegieſſ. Inſtit. Medic. legal.*) M &

& ſyncopticis adfectibus laborantibus (§. CCCCXXX.), praeter motus abolitionem & deprauationem, etiam ſenſus deficit, adeo vt fortiſſime tacti & irritati nullo modo refocillari queant.

§. CCCCLIX.

Soporoſi et apoplectici quomodo refocillandi?

Miſeri iſtiusmodi homines (§. CCCCLVIII.), veram mortis imaginem referentes, odoribus acribus, praeſertim ex helleboro albo, pyrethro, ſpiritu ſalis ammoniaci, vel cornu cerui, naribus inflatis & admotis, plerumque ad ſe iterum redire ſolent.

§. CCCCLX.

Soporoſos cauteria iuuant.

His & ſimilibus (§. CCCCLIX.) fruſtra adhibitis, adflictorum extrema vellicando, fricando, pungendo, & ſcarificando, pedumque plantis ferrum obiiciendo candens, nunquam non feruntur ſuppetiae.

§. CCCCLXI.

Soporoſi adfectus ſimulatio ſuſpicatur.

Quorum igitur ſenſus a quocunque irritatiuo (§. CCCCXLIX. — CCCCL.) facile ſuſcitantur & excitantur, reliquis horum morborum ſignis propriis ſimul deficientibus (§. CCCCLVIII. & CCCCLIX.), iſti in fraudis incidunt ſuſpicionem.

§. CCCCLXII.

Hydrops et tympanites facile cognoſcitur.

Hydrops & tympanites (§. CCCCXXX.) arti-

artificioſa coniectura non indigent, ſed adeo manifeſti ſunt iſti adfectus, vt, partes ſenſibus minus obuias, vterum, cordis capſulam, cranium, vel thoracis cauum ſi exceperis, facillime eosdem palpare, atque oculis ſubiicere valeamus.

§. CCCCLXIII.

Renum et veſicae calculus quomodo diſcernendus?

Renum atque veſicae calculus (§. CCCCXXX.) vel ex relatione delinquentis per ſe patet, vel ex ſignis aliis morbo huic pathognomonicis cognoſcitur.

§. CCCCLXIV.

Symptomata cum renum calculo conſociata.

Renum calculo laborantes, doloribus in regione lumbari, ſenſum ponderis grauantis ſimul comitem habentibus, plus minuſue pungentibus, lancinantibus, tenſiuisque diuexantur acerbiſſimis. Vrina modo pauca aquoſa, acris, modo copioſior, & prout calculus incipit moueri, craſſa, rubra, ac interdum ſanguinolenta excernitur. Spasmodica vreterum vellicatio, ad vicinas, immo & diſſitiſſimas progreditur partes; hinc ex meſenterii plexus neruoſi adfectione conſenſuali, *dolores colici* grauiſſimi, *nauſea, vomitus* atque appetitus deiectio, a neruorum diaphragmaticorum conuulſione, *anxietates praecordiales*, ac ſaepe *aſthmatica reſpirandi difficultas* conſurgit; cruraibus denique neruis ſimul conuulſis, *corpus*

erigendi impotentia, atque *cruris ſtupor*, eiusdem lateris, quo calculus incuneatus deprehenditur, enaſcitur.

§. CCCCLXV.

Veſicae calculi ſigna diagnoſtica.

Partes neruoſae a veſicae calculo eandem fere doloris impreſſionem (§. CCCCLXIV.) patiuntur; hinc defatigati praeter moleſtam iſtam corporis inquietudinem, etiam tormina colica & ſenſum doloris crudeliſſimum in pubis regione percipiunt; ſic ſimiliter vrinam atque feces aluinas excernendi deſiderium, cum ceteris ſymptomatibus ſeſe conſociat; aegrotantes, greſſum, ſaltum, & quamcumque aliam corporis motionem perferendi facultate deſtituuntur; vrina guttatim ſtillat, & inter mingendum derepente ſupprimitur a).

a) Mictionem calculorum ſimulatam habet BARTHOLINVS Cent. 3. epiſt. 16.

§. CCCCLXVI.

Mictus cruenti ſigna.

Mictus cruentus (§. CCCCXXX.) indagine haud indiget ſcrupuloſa, ſed mox in ſenſus incurrit; interim tamen & in ius rapti, aſtuta eius ſimulatione, tormentorum cruciatus deuitandi & declinandi impendunt operam, atque terebinth. ſpiritu b), cantharidum interno vel externo vſu c), praecipue lumbari regioni applicatis, aliisque commatis huius technis ſanguinis mictionem prouocant.

b) HILDANVS C. 5. Obſeru. 52.

c) A.

c) A. N. C. dec. I. ann. 10. obſ. 148. ALBERTI Iurisprud. med. p. I. ſuppl. p. 410.

§. CCCCLXVII.

Haemorrhoides per veſicam vrinariam contingentes.

In quibusdam vero ſubiectis vicaria haemorrhoidum euacuatio per veſicam vrinariam contingit d), atque in huiusmodi hominum poteſtate plerumque poſitum eſt, ſaltu, vel quacunque alia corporis motione, ſanguinem vna cum lotio pro lubitu excernendi; quae mictionis cruentae ſpecies, licet ſimulata aliquatenus, atque pro arbitrio producta, a tormentorum tamen applicatione liberat.

d) HILDANVS c. 2. obſ. II. ROLFINCK diſſert. anatom. l. 5. c. 20. A. N. C. Dec. I. ann. 8. obſ. 23.

§. CCCCLXVIII.

Scirrhorum, Strumarum et Scrophulorum ſigna.

Viſcerum indurationes & corruptiones (§. CCCCXXX.) ab humorum motu circulari intercepto conſurgunt; illorum enim tranſitu denegato, partes continentes intumeſcunt, vel, inflammatione contracta, in abſceſſum, ſeu corruptionem degenerant ſuppuratoriam. Vbi vero humidum tenuiſſimum per vaſa reſorbentia abſumitur, atque materia incarcerata penitus exſiccatur, tumores duri, indolentes & ad tactum renitentes enaſcuntur, qui ex ſanguine in parte carnoſa, *ſcirrhi*, ex lympha in parte glanduloſa enati, *ſtrumarum* vel *ſcrophulorum* veniunt nomine.

§. CCCCLXIX.

Hecticae ſigna.

Corruptio ſuppuratoria (§. CCCCLXVIII.),

 ex

ex febre inflammatoria, vel *lente*, vel *acutorum more* graſſante, atque conſumtione corporis hecticodea cognoſcitur; tumores vero *duri* & *exſiccati* ſi non oculis ſemper obiiciuntur, manibus tamen ſunt apprehendendi.

§. CCCCLXX.

Febrium ſigna.

Febres, ſiue ex continentium & continuarum, ſiue ex intermittentium ſint genere (§. CCCCXXXI.), per ſe facile patent; horror enim, agrypnia, dolores capitis, ſitis immodica, & calor intenſus, ſigna ſunt horum morborum pathognomonica.

§. CCCCLXXI.

Ardor febrilis non ſimulari poteſt.

Etiamſi horrorem, agrypniam, ſitim, atque capitis dolorem (§. CCCCLXX.) ſimulandi & aemulandi, dolis inſtructi in ſua habeant poteſtate; minime tamen ardorem iſtum, vel continuo, vel per paroxysmos defatigantem (§. CCCCLXX.), & a ſola ſanguinis incaleſcentia proficiſcentem, absque calefacientium adminiculo, quae vero ab hominibus in ius raptis procul abeſſe ſolent & debent, posſuntimitari.

§. CCCCLXXII.

Herniarum et fracturarum diagnoſis.

Vmbilicus, vterus, omentum, atque inteſtina extra abdominis cauum propendentia, perinde ſterni, dorſi ſpinae, ac crurum flexio & incuruatio (§. CCCCXXXV.), veſtibus detractis

tractis, mox in oculos incurrunt. Fracta vero membra, ex *callo*, circa oſſium fracturas genito, horumque fragmenta connectente, leui manuum apprehenſione dignoſcuntur.

§. CCCCLXXIII.

Tumorum oedematoſorum ſigna.

Pedum oedemata, quum plerumque ſint ſtatus totius corporis cachectici comes indiuulſus, ex coloris natiui, praecipue faciei, mutatione in praeternaturalem, atque ipſorum pedum intumeſcentia indolente, non calente, atque digitis facile cedente cognoſcuntur; quemadmodum etiam *exeſtones* & concretiones *lapidoſae*, *gypſeae*, in oſſibus a ſcorbuto vel lue venerea excitatae (§. CCCCXXXVI.), prudentis Medici oculorum aciem raro haud ſubterfugiunt.

§. CCCCLXXIV.

Signa narium polypi et ozoenae.

Narium excreſcentia *polypoſa* (§. CCCCXXXVII.), quam e durae meningis finibus contingere aſſeuerant, *pedum*, ſeu ramulorum multorum, ad oris interiora, atque naſi exteriora *explicatione*, perinde ac eius exulceratio, *ozoena* dicta, naſi oſſicula, vna cum palati tunica, ſaepe depaſcens, ſaniei profluuio, atque foetore teterrimo, ſuam manifeſtat praeſentiam.

§. CCCCLXXV.

Parotidis et fiſtulae lachrymalis ſigna.

Sic ſimiliter *tumores* iſtos, colli vel aurium

glandulis, a materia in earundem folliculis ſtagnante *contingentes* (§. CCCCXXXVII.), ex magnitudine harum partium praeternaturaliter aucta; *fiſtulam* vero lachrymalem, ex vlcere hiante, atque lachrymis in genas abunde cadentibus, certius certo cognoſcimus.

§. CCCCLXXVI.

Milites iura habent ſingularia.

Militibus pro republica dimicantibus, apud Romanos priuilegia & iura conceſſa erant plane ſingularia; immo & hodienum proprium ſuum habent iudicem, *propriamque* delictorum perſecutionem, iuribus etiam circa teſtamenta, tutelas, iuris ignorationem, & torturam, gaudent peculiaribus [e]); delictis vero *communibus* perpetratis, perſecutioni quoque communi ſubiiciuntur [f]); ideoque morbi ſimulati ſuſpicionem mouentes (§. CCCXCIII.), & Medici explorationem non recuſare tenentur.

e) FARINACIVS qu 41. ZANG. C. 2. de quaeſt. n. 58.
f) CARPZOVIVS P. 4. c. 9. Dec. II.

§. CCCCLXXVII.

Ruſticus morbos ſimulandi calliditate deſtituitur.

Rudis & inculta ruſticana gens in fraudes agere, atque morbos effingere, verſuta calliditate plerumque deſtituitur; hinc ad fraudis detectionem, in iſtiusmodi ſtupidi ingenii hominibus (§. CCCXICII.) facilius, quam longo vſu edoctis, peruenire poſſumus.

§. CCCCLXXVIII.

Grauiditas ſimulatur.

Grauiditatis ſigna in mulieribus, quarum mariti

mariti ab inteſtato diſceſſere (§. CCCXCIII.), vel ex relatione praegnantis (CCCIII.), vel a corporis mutatione, quam mox poſt conceptum ſubit mulier (§. CCCVI. — CCCXX.), ſunt deſumenda.

§. CCCCLXXIX.

Defloratio ſimulatur.

Defloratio ſub ſpe matrimonii falſe praetenſa (§. CCCXCIII.), ex ſignis (§. CCLII. — CCXCVII.) allatis dignoſcitur.

§. CCCCLXXX.

Mendicorum fictio facile retegitur.

Coecitatem, epilepſiam, clauditatem, variaque vlcera, ſtipem obtinendi effingentes (§. CCCXCIII.), fraudem haud diutius poſſunt obtegere, quam in ius rapti, corporis ſui conſtitutionem praeternaturalem palam oſtendere adiguntur.

§. CCCCLXXXI.

Impotentia coniugalis diſſimulatur.

Impotentiam coniugalem diſſimulatam (§. CCCXCIII.) ſigna docebunt in (§. CXLIV. — CLXVII.) adducta; virginem vero praegnationem vel deflorationem obtegiſſe (§. CCLV. & CCCXX.) fuſius indicatur.

§. CCCCLXXXII.

Politicis ſimulatio morborum permittitur.

Politici, perinde ac Megiſtanes (§. CCCXCIII.), absque iurium violatione alterius, ad ſolam ſui ipſius conſeruationem, morbos ſimulantes & diſſimulantes, aeque haud agunt doloſe; ideoque in indagandis eorundem mor-

bis non eandem ſeueritatem adhibere, ex aequitate erit permiſſum.

§. CCCCLXXXIII.

Contagium diſſimulantes reipublicae nocent.

Contagio infecti, miasma peſtilentiale ne in alios transferant, ab hominum conſortio excluduntur (§. CCCXCIII.); magis igitur in fraudes agunt, qui, diſſimulando morbum contagioſum, cautionibus adhibitis clandeſtini ſeſe ſubducunt, atque reipublicae vniuerſae periculum iniiciunt (§. CCCLXXVII.); quemadmodum etiam e contagio minus caute diuulgato, leue haud reſultat damnum (§. CCCLXXVIII.).

§. CCCCLXXXIV.

Signa mentis imbecillitatis in alio fictae.

Mentis imbecillitas, in *alio* ſimulata & ficta (§. CCCXIII.), iisdem omnino ſignis, quibus in ſemet ipſo illam conſueſcunt exprimere (§. CCCCI — CCCCXXV.), dignoſcitur.

§. CCCCLXXXV.

Medici morbos celandi obſtringuntur.

Ipſe denique Medicus, imminens periculum defatigatis reticendi, ſaepe prudentiae dictamine obligatur (§. CCCXCIII.); atque iterum aegrotantes Medico varia committunt ſecretiora, quae non omnium auribus inſtillari cupiunt. Propterea & veteris aeui Medici ſuos, antequam ad Hygeae ſacrarium admitterent, HIPPOCRATIS iure iurando, quo diuus Senex ſpecialiter & imprimis cautum voluit, arcana aegrotantium ne propalam collocentur, adſtringebant diſcipulos.

INSTI-

INSTITVTIONVM MEDICO-LEGALIVM,

CAPVT VI.

DE VARIIS HOMICIDII SPECIEBVS VVLNERVMQVE LETHALITATE.

§. CCCCLXXXVI.

Homo ad ipſius conſeruationem a natura compellitur.

Humanum genus vniuerſum breui ad interitum rueret, Conditor rerum rerumque Seruator, niſi homini, ad ſui indiuidui conſeruationem, inſitum congenitumque indidiſſet ſtimulum.

§. CCCCLXXXVII.

Lege poſitiua homo ad ſui conſeruationem obligatur.

Miſeri mortales huic naturae inſtinctui (§. CCCCLXXXVI.) ita effrenate reluctantur ſaepius, vt vel ſui ipſius, vel aliorum caede manum tingendi occaſionem anxie deſiderent, eandem-

eandemque lubentiſſime arripiant; adeoque legis etiam poſitiuae & diuinae & humanae moderamine ad obligationem, qua rei publicae ſecuritas & conſeruatio nititur praecipue, neceſſario compelluntur.

SCHOLION.

Sacrata iſta legum iura (§. CCCCLXXXVII.) Romanorum gens inclytiſſima ita ſtricte interpretabatur, vt legis Corneliae, qua hominum caedes pie iuſteque vindicabantur, iam reos pronunciauerit, qui vel indirecte huic intentioni reluctari videbantur. Hinc teſtes exſcindendo, thlibias faciendo, vel quocunque modo alio generationis negotium impedientes, ſicariis aequiparabantur, quin immo & homicidii poena adficiebantur.

h) L. 10. ff. §. 11 l. 11.

§. CCCCLXXXVIII.

Homicidium quotuplex ſit?

Factum illud illicitum, quo homo homini vitae ſtruit inſidias (§. CCCCLXXXVII.), non generis exiſtit vnius, ſed vel in *ſemet ipſo*, vel perpetratur in *alio*; illud *autochiriae*, hoc vero *homicidii* proprie ſic dicti venit nomine.

§. CCCCLXXXIX.

Homicidium in doloſum et culpoſum diſtinguitur.

Ex idea delicti (§. CCCXCVII. — CCCXCVIII.) in facto illicito, delinquendi conatus ſemper praeſumitur, ac notiſſimi iuris eſt, quod delicta absque dolo neque committantur, neque vindicentur; hinc Iurisconſulti, vtrumque *autochiriae* & *homicidii* crimen (§. CCCCLXXXVIII.)

CCCCLXXXVIII.) in *culpoſum* & *doloſum* conſueſcunt dirimere [i])

i) PROSP. FARINAC. part. 5. oper. crim. qu. 126. n. 2. CARES. in tract. crim. de homicid. & aſſaſſin.

§. CCCCXC.

Homicidii doloſi diſtinctio.

Quemadmodum vero homicidium *culpoſum* (§. CCCCLXXXIX.) *a caſuali*, & *iure permiſſo*, haud parum diſcrepat; ita etiam homicidium *doloſe*, contra legum prohibitionem perpetratum, pro ratione circumſtantiarum concurrentium, in *ſimplex*, & *qualificatum* diſtinguitur.

§. CCCCXCI.

Homicidium ſimplex quid ſit?

Homicidium *ſimplex* (§. CCCCXC.) nuncupatur, quod *indirecte*, absque praeuia animi deliberatione, e. gr. inter verba litigioſa, ex commoti pectoris aeſtu, vel iuſto dolore committitur.

§. CCCCXCII.

Homicidium qualificatum quid ſit?

Sic viciſſim homicidium *qualificatum* (§. CCCCXC.) dicitur, quod *directe*, animo propoſito ac deliberato, per inſidias perpetratur. Cumque eiusmodi homicidae occaſionem ſimul praeuertant, ſauciatus quo minus violentiam, Marte aperto queat repellere; propterea eiusmodi homicidium *latrocinio* iure meritoque aequiparatur, illudque leges ſupplicio vindicant longe maiori.

§. CCCCXCIII

§. CCCCXCIII.

Homicidium variis ex cauſſis qualificatur.

Enimuero homicidii crimen, non ſola animi deliberatione praegrediente (§. CCCCXCII.), ſed etiam coagmentatis & coaceruatis maleficiis ſimul aliis, ſeu, vt dicunt Iurisconſulti, per *quantitatem* exaggeratur & qualificatur, id eſt in deterius vertitur; vbi nimirum vel aliquoties reiteratur, & plures perſonae ab vno eodemque interficiuntur, vel quando cum ſpolio, ſeu lucri faciendi cupiditate perpetratur k), vel quando impraegnator, pro auertenda adulterii, vel fornicationis poena, praegnatam interficit.

k) NICOL. REVSNERVS L. 2. deciſ. 21. n. 3.

SCHOLION.

Sic etiam per perſonam, in qua perpetratur delictum illud grauiſſimum, magis atrocius redditur, quando in *principe*, *iudice*, vel *perſona eccleſiaſtica*, a *vaſallis* & *ſeruis* in *domino* committitur l), vel quando in *ſanguine coniunctis*, aſcendentibus, deſcendentibus, lateralibus, & *affinibus* perpetratur, quae homicidii ſpecies *parricidii* titulo ſolet inſigniri. Ita etiam pro ratione *modi*, quando per *veneficium*, aut *aſſaſſinium*, ex pactione de danda & acceptanda mercede perpetratur m); vel pro ratione *loci*, quando in *via publica*, in *domo* alterius *propria*, vel *loco ſacro* committitur, multum aggrauatur homicidii crimen illud nefandum.

l) Conſt. C. Imp. C. V. art. 137.
m) l. c. art. 130.

§. CCCCXCIV.

§. CCCCXCIV.

Homicidii poenam leges conſtituunt.

Quandoquidem vero rei publicae haud parum intereſt, humani generis propaginem ſartam & numeroſam conſeruari; hinc etiam regula, ſeu menſura homines in actionibus ſuis moralibus ita dirigens & obligans, vt ab vtraque *autochiriae* & *homicidii* culpa quouis modo deterreantur, apprime rectiſſime fuit neceſſaria. Ideoque poteſtas legislatoria *autochiris* ſepulturam denegauit honeſtam, *homicidis* vero, *vltimi ſupplicii* conſtituit *poenam* n).

n) de poenis L. III. ad leg. Cornel. de ſicar.

§. CCCCXCV.

Autochiriae et homicidii poenam ſolus animus determinat.

In decernenda iſta *autochiriae* & *homicidii* poena (CCCCXCIV.) occidendi animus maximopere requiritur o). Quicunque igitur, absque necandi propoſito, ſemet ipſum, vel alium interficit, *culpa* magis quam *dolo* occidiſſe, ſicque homicidium *proprie* non commiſiſſe videtur, conſequenter etiam vtraque autochiriae & homicidii poena haud quaquam erit plectendus p).

o) PROSP. FARINACIVS part. III. oper. crim. qu. 86.
p) l. c. qu. 126. n. 2.

§. CCCCXCVI.

Autochiriae cauſſa.

Autochir vel ex *animi impotentia*, vel ex patrati criminis *conſcientia*, manum caede propria ſolet tingere; in priori caſu autochiria *culpoſa*, in altero vero *doloſa*, committitur.

Illa

Illa *poena* non vindicatur, haec autem *ſepultura canina* animaduertitur (§. CCCCXCIV. — CCCCXCIV.).

§. CCCCXCVII.

Autochir delinquens animaduertendus.

Cumque Iudici in cadauera, ſua etiam morte in reatu deceſſorum, ſaeuire ſit permiſſum q), multo etiam magis, de crimine confeſſi & conuicti, manus impias ſibimet ipſis inferentes, erunt plectendi.

q) IVL. CLAR. in pract. crim. qu. 51.

§. CCCCXCVIII.

Autochir pro delicti varietate poenam luit.

Autochir de crimine confeſſus & conuictus vel condemnatus, ſiue ex criminis huius conſcientia, ſiue ex animi impotentia (§. CCCCXCVI.) mortem ſibi accerſiuerit, in autochiriae poenam (§. CCCCXCIV.) non incidit, ſed pro criminis atrocitate animaduertitur r), atque cadauer eius vel publice ſuſpenditur, comburitur, vel rotae imponitur s).

r) BETR. HEIGEN. part. 2. quaeſt. 37. n. 32.

s) IACOB. MENOCH. de arbitr. iud. q. 1. . . caſ. 285. GIGAS in tract. de crim. laeſ. Maieſt. qu. 35. n. 8.

§. CCCCXCIX.

Autochir criminis conſcius non in delicti incidit poenam.

Ergo de irroganda autochiriae poena tunc demum mouetur quaeſtio, quando facinoris conſcius (§. CCCCXCVI.), minime vero confeſſus & conuictus, vel condemnatus (§. CCCCXCVIII.), *doloſe* vita ſeſe ſpoliaſſe praeſumitur.

§. D.

§. D.

Autochiriae ſuſpecti.

Autochiriae ſuſpicionem mouent *mortui reperti* omnes, *vulnerati*, *laqueo ſuſpenſi*, in *aquam proiecti*, *fulmine tacti*, *veneno* vel *intus genito*, vel *adſumto*, *apoplexia*, *catarrho ſuffocatiuo*, *ſyncope*, *peſte*, *frigore*, *abſceſſus* & *vaſorum ſanguiferorum* ruptura, vel morte quacunque alia ſubitanea interemti.

§. DI.

Autochiriae praeſumtio ex vulnere.

Circa ſauciatos (§. D.), probe conſideranda ſunt omnia, vt pleniter innoteſcat, vulnera reperta, vtrum viuo, vel mortuo ſint inflicta. Homo num viuus ſit vulneratus, cognoſcitur, vulnera ſi in ambitu ſuo rubra & cruenta fuerint. Liuida enim & ſicca apparentia, poſt mortem eſſe inflicta, indicium ſuggerunt manifeſtum.

SCHOLION.

Labia vulneris, viuo etiam homini inflicti, ſenſim ſenſimque liuida atque ſicca euadunt; hinc inter laeſionem & mortem ſubſequentem non longam temporis intercapedinem interceſſiſſe requiritur.

§. DII.

Signa num quis laqueo viuus ſuſpenſus?

An viuus aut mortuus laqueo quis fuerit ſuſpenſus (§. D.), e funis veſtigio rubro, vel liuido & nigricante, collo impreſſo, optime cognoſcimus. Facies, brachia ac crura illo-

rum, qui viui ſuſpenduntur, liuida euadunt; circa nares & os, in faucibus, immo & aſpera arteria, muci ſpumoſi portio haud mediocris deprehenditur; pulmones ab aëre diſtenti, atque ſanguine turgidi apparent.

§. DIII.

Signa gulae praecluſae.

Quibus vero digitorum compreſſione gula fuerit praecluſa, illis, praeter dicta ſuffocationis ſigna (§. DII.), oculi prominent, lingua tumida, nigra, extra dentes protenſa & admorſa deprehenditur; ipſo vero in mortis limine, haſta plerumque rigida fit, vrina profluit, & in iugulo compreſſionis veſtigia remanent.

§. DIV.

Signa num quis viuus vel mortuus in aquam proiectus?

Hominem in aquam proiectum, ante ſubmerſionem eſſe interfectum (§. D.), vel ex pulmonum atque ventriculi repletione, vel ex ſugillationibus & vulneribus in cadauere reperiundis quidam arguunt; ſignum vero vtrumque fallere neſcium minime deprehenditur.

SCHOLION.

Equidem libenter concedimus, epiglottidem in ſubmerſis premi ab aqua ſuperincumbente, glottidemque hac ratione claudi & coarctari quadantenus; nemo tamen facile ibit inficias, dictas partes a frigoris aſperitate ſimul rigiditatem acquirere; glottidis vero apertura ex hac cauſſa conceſſa, aquam pro-

propria ſua grauitate, absque deglutitionis ope, in vtriusque pulmonum & ventriculi cauum irruere, prona omnino fluit conſequentia.

§. DV.

Submerſorum venter et pulmones repleti, viuos eſſe ſubmerſos non probant.

Morientibus fere omnibus membra modo violento diſtenduntur & conuelluntur; prout igitur, ſub ipſo agone, muſculi maxillam inferiorem deprimentes contrahuntur, attollentes vero maiorem vel minorem renitentiam exercent, ſubmerſus, ore vel clauſo, vel hiante, vitam deſerit; pro hac igitur diſcrepantia, viuos in aquam praecipitatos, ventre ac pulmonibus modo vacuis, modo repletis inueniri (§. DIV.), experientia docet quotidiana.

§. DVI.

Vulnera in ſubmerſis reperiunda autochiriae ſuſpicionem non auferunt.

Ita etiam vulnera in ſubmerſis reperiunda (§. DIV.) autochiriae ſuſpicionem non remouere poſſunt omnem, quippe in aquam ſeſe praecipitantes, a palis & lapidibus, in profundo latitantibus, ſaepe grauiter ſauciantur, immo & enecantur. Adeoque ex ſignis ſuffocationem indicantibus (§. DII.) num quis viuus vel mortuus in aquam ſit proiectus? reliquis omnibus, certius cognoſcimus.

§. DVII.

Fulminis effectus.

Fulminis ictus, vel corpora penetrando, vel exterius feriendo, ſuam exſerit ſaeuitatem; hinc in mortuis repertis non exteriora ſolum debent perluſtrari, ſed etiam interiora ſumma induſtria ſub oculos ſunt ſubiicienda.

§. DVIII.

Fulminis ictus ſigna.

Adeoque fulmine eſſe aliquem tactum cognoſcimus, ſi praeuia tempeſtate procelloſa, vel in via publica, vel in ſyluis, ſub arbore, fulminis veſtigiis adhuc apparentibus, absque vulnere mortuus inueniatur. Certiores quoque de hac re reddimur, ſi cadauer repertum foetorem ſpiret grauem, ſulphureum, nitroſum, & ſi praeter combuſtionis ſigna, in aliqua corporis parte, macula liuida, vaſa ſanguifera disrupta, vel oſſa etiam diffracta obſeruentur.

§. DIX.

Veneficii ſigna.

Veneficii ſigna (§. D.), ex ſymptomatum inuicem ſeſe derepente excipientium atrocitate, praecordiorum nimirum anxietate, ardore & dolore ventriculi, nauſea, vomitu nigro & foetido, partium ſtupore, proſtratione virium ſubitanea, totius corporis, ventris praecipue intumeſcentia, ſudore frigido, macularum per totum corpus proruptione; ex eroſionibus denique illarum partium, in quibus contactus contingit primus, gulae nimirum, ſtomachi

machi & inteſtinorum, nec non ex veneni ramentis in ventriculo repertis, plerumque deſumuntur.

§. DX.

Signa veneficii ambigua ſunt.

Enim vero ſymptomata iſta ſingula (§. DIX.), a trucidantibus ſeſemet ipſos, partim reticentur & occultantur, partim etiam morbis malignis, peſti, epilepſiae, cholerae, dyſenteriae, aliisque humoribus corruptis & venenatis intus genitis, natales adſcribunt ſuos; hinc diſcernere, num quis a veneno adſumto, vel intus genito ſit interemtus, omnino ardua & intricata res eſt.

SCHOLION.

Venena, quibus etiam *philtra*, ſeu *pocula* ſic dicta *amatoria*, nec non impotentiam coniugalem prouehentia adnumerantur, ea dicuntur omnia, quae e triplici naturae regno intus vel foris applicata, tam ſolidas, quam fluidas noſtri corporis partes deſtruendi pollent efficacitate. Cumque alia per ſe, ſuaque natura, alia vero artis auxilio ita ſint comparata, vt vel confeſtim, vel longa temporis mora interpoſita, qualitatem exſerant nociuam, quo pertinent *l'eau mirable*, & *le poudre de ſucceſſion* de Madame de VOISIN; hinc commode in venena *acuta* & *lenta* diſtinguuntur, quorum illa difficillime manifeſtantur, haec vero ſigna propria & ſpecialia plane exhibent nulla.

§. DXI.

Quo morbo quis interemtus, ex viſcerum indagine cognoſcitur.

Num vero morbo quis diſceſſerit (§. D.), ex viſcerum principaliorum indagine, optime intelligimus; ſic ita *apoplexia* aliquem eſſe extinctum, cerebrum notas praebebit certiſſimas; *catarrho* ſuffocatiuo, vel *ſyncope* mortuum eſſe, pulmones, atque cordis ventriculi, vel vacui vel repleti, ſigna exhibent omnino fallere neſcia. Inguinum atque parotidum tumoribus, ſimulque maculis liuidis & nigricantibus in toto corpore apparentibus, *peſte* vel *lue venerea* extinctum eſſe iudicatur. *Frigore* demortuorum corpora, rigida & glaciata deprehenduntur. Sanguis, vel materia purulenta e naribus ſi exiuerit, intra cerebri ſubſtantiam, ſi vero ex ore promanauerit, in pulmonibus vel ventriculo abſceſſus, aut vaſorum ſanguiferorum arguit rupturam.

§. DXII.

Autochiria doloſa quomodo dignoſcatur?

Num denique autochiria *doloſe*, vel culpa tantummdo ſit perpetrata? e praegrediente animi impotentia, vel ex vitae integritate, vel ex proſapia, (quo enim morbo parentes laborarunt, de eodem quoque in filio eſt ſuſpicio,) luce palam poſſumus oſtendere.

§. DXIII.

Vindicta homicidii modo animum, modo effectum reſpicit.

Homicidium in alio *doloſe* perpetratum, in

in *ſimplex*, ſeu *indirectum*, & *qualificatum*, ſeu *directum* diſtinguitur (§. CCCCXC.). In homicidio *ſimplici*, ad ſolum animum, in *qualificato*, quippe quo animus iam per ſe patet, magis ad effectum attenditur.

§. DXIV.

Doloſe laedens, pro eo, quod ex laeſione ſequitur, tenetur.

Etiamſi in homicidio *indirecto* (§. DXIII.) interficiendi animus deficiat (§. CCCCXCI.); propter laedendi tamen conatum, percutientis voluntas in id dirigitur omne, quod ex percuſſione *doloſa* ſequitur immediate.

§. DXV.

Interficiendi animus ex armorum genere cognoſcitur.

Interficiendi & laedendi iſtam intentionem (§. DXIII.—DXIV.) explorandi & diſcernendi, reliquis circumſtantiis probe penſitatis omnibus, ad armorum genus, quo caedes fuerit perpetrata, reſpicere iubent leges t). Quicunque enim armorum genere, regulariter & veroſimiliter ad occidendum apto, aliquem percuſſit, *doloſe* interfeciſſe praeſumitur.

t) L. I. ff. ad l. Cornel. de ſicar.

§. DXVI.

Ex laedentis et percuſſi conditione animus cognoſcitur.

Armorum tamen contemplatio (§. DXV.) ſola haud ſufficit, ſed vtriusque etiam, ferientis & laeſi conditio probe erit perpendenda. Etenim ex parte laedentis conſiderandum, num intellectus & rationis vſu plenarie fuerit

 prae-

praeditus, nec ne (§. CCCCXXVIII.)? num in aetate infantili, puerili & decrepita, qua fatuis & inſipidis comparatur (§. CIII. — CXXIV.), ſit conſtitutus? num debilis? vel corpore praeditus robuſto? quo caſu infirmus, manu etiam contracta, damnum inferendi minus idoneus deprehenditur, lacertoſus vero vola occidere poteſt facillime.

§. DXVII.

Corpus laeſi inſpiciendum.

Neque etiam corporis regio & *locus*, quo facta eſt percuſſio, erit praetermittendus; in quibusdam enim locis homo aegre ita ſolet violentiam perferre, vt a leuiſſimo etiam ictu, in cordis nimirum ſcrobiculo, propter diaphragmatis & ventriculi neruorum concuſſionem, in hepatis & lienis regione, propter horum viſcerum rupturam, in capite, propter cerebri commotionem, exanimis concidat.

§. DXVIII.

Laeſus num a vulnere, vel a cauſſa intercedente ſit interemtus, disquirendum.

Aſt enim internecio laeſionem non immediate ſemper & proxime ſequitur, ſed cauſſae etiam interuenientes aliae illam ſaepius excipiunt; hinc a Magiſtratu quaeſtionis illius maxime intricatae deciſio: *laeſus num ex vulneris magnitudine, num vero ex cauſſa interueniente alia ſit interfectus?* a qua laedentis vita & ſalus vnice pendet, Medicorum iudicio ſubiicitur.

§. DXIX.

§. DXIX.

Vulneris qualitas ex cadaueris inſpectione deſumenda.

Signa, quibus Medicus hocce ſuum de vulneris qualitate iudicium ſolet depromere, ex ipſa cadaueris inſpectione, eiusque cauta & artificioſa ſectione deſumuntur.

§. DXX.

Reuiſionis ſubiectum et obiectum.

Hinc reuiſioni, ex Magiſtratus requiſitione, vel teſtibus quibusdam, vel ipſo Iudice praeſente, a iurato & perito Medico ac Chirurgo ſuſcipiendae, mortui reperti, vel autochiriae ſuſpicionem mouentes, vel ab aliis interfecti, *infantes* & *adulti*, ſubiiciuntur omnes.

§. DXXI.

Abortus promotio ab infanticidio differt.

Infantes a matribus malitioſis vita ſpoliantur vel *perfecti*, vel *imperfecti;* iſta internecio doloſa, *abortus promotio*, haec autem proprie *infanticidii* nomine ſolet inſigniri.

§. DXXII.

In abortus promotionem inquirendum variis ex cauſſis.

De abortus promotione (§. DXXI.) variis ex cauſſis in foro iuridico mouetur quaeſtio, nimirum

I) quando foemina ſuſpecta, abortus culpam praetexere cupit;

II) ſi de partu maturo, vel immaturo, in haereditatis diſcrimine mouetur quaeſtio;

III) vbi diſcernendum, num qui primis, ve vltimis menſibus abortum promouerit homicidii poena ſit plectendus?

§. DXXIII.

Abortus promotio poena ordinaria non vindicatur.

Abortus promotio (§. DXXI. — DXXII.) etiamſi homicidii nomine itidem inſigniri debeat, ex veterum tamen Legislatorum falſis imaginibus, quibus animae praeſentiam, organis ſingulis nondum perfecte explicatis, inutilem eſſe, illamque menſe demum quarto accidere, ſibi habebant perſuaſum (§. XIX.), ante medium geſtationis tempus perpetrata, ordinaria homicidii poena non vindicatur.

§. DXXIV.

Abortus ſigna vnde deſumenda?

Abortus facti ſigna, vel ex *matre*, vel ex ipſo *foetu*, vel ex *vtrisque* ſimul erunt deſumenda.

§. DXXV.

Abortus ſigna ex matre.

Signa abortus in *matre* (§. DXXIV.) vel ex ſtatu eius praegreſſo, menſium emanſione, abdominis intumeſcentia, lactis in mammis prouentu, atque reliquis grauiditatis ſignis (§. CCCIII. — CCCXX.), vel ex *praeſenti genitalium* conſtitutione depromere conſueſcunt quae ſingula eo magis certiora & manifeſtiora euadunt, quo propius tempus illud, quo corporis perluſtratio inſtituitur, a partu diſtat (§. XLII. — XLVII.).

§. DXXVI

§. DXXVI.

Signa abortus in foetu.

In ipſo foetu (§. DXXIV.) abortus promotionem, vel ex eius *magnitudine*, vel ex imperfectionis notis in eo apparentibus (§. XXXVII. — XL.), cognoſcimus.

§. DXXVII.

Abortus ſigna ex matre et foetu ſimul.

Signa denique abortionis malitioſe prouocatae, ab vtrisque, matre & foetu ſimul petenda (§. DXXIV.), ſunt *contorſiones*, *maculae*, *tumores*, & quaecunque alia laeſionum veſtigia, in foetu, atque matris abdomine in conſpectum venientia (§. XLI. — LIII.).

§. DXXVIII.

Infans perfectus duplici modo enecatur.

Infantes *perfecti* (§ DXXI.), vel *intra* vel *extra* naturae *aruum* doloſe interficiuntur.

§. DXXIX.

Signa foetus in vtero enecati.

Signa foetus perfecti *intra vterum* enecati (§. DXXVIII.), cum abortus promoti indiciis coincidunt, eoque euidentiora ſunt, foetus quo maior deprehenditur, & quo propius ad partus tempus accedit (§. DXXV — DXXVII.).

§. DXXX.

Signa infantis extra vterum demortui.

Enim vero infans perfectus, num extra pudoris ſinum ſit demortuus (§. DXXVIII.)? vel

I) ex laeſionis ſignis, exterius in corpore apparentibus, vel

II)

II) ex viſcerum, capitis, pulmonum prae- cipue, inteſtinorum, vrinariae veſicae atque vmbilicalis funiculi conſtitution[e] cognoſcimus.

§. DXXXI.

Laeſionis ſigna, in foetus corpore reperiunda, matr[is] malitiam non ſemper directe indicant.

Veſtigia laeſionum, exterius in tenel[lo] foetus corpore occurrentia (§. DXX.), matri[s] malitiam vel *directe* indicant, vel matrem faci[-] noris *ream* tantummdo arguunt.

§. DXXXII.

Signa malitiam matris directe indicantia.

Ad iſta laeſionum veſtigia, matris mali[-] tiam *directe* indicantia (§. DXXXI.),

I) ſugillatio tenuiſſima, in nucha, circ[a] tempora, vel in fontanella, ab *acupunctur[a]* facta,

II) ſugillatio a iuguli atque naſi pinnaru[m] compreſſione orta, pertinent.

Cranii vero depreſſiones & fracturae, funicu[li] vmbilicalis abſciſſio, nec non vulnera & ſugi[l-] lationes in toto corpore reliquo obſeruata[e] quatenus a cauſſis quibuscunque aliis, obitu[i] infantis interuenientibus, poſſunt procede[re] vel mortuo corpori infliguntur, de interneci[o-] ne non *directe* teſtantur.

§. DXXXIII.

Perſonae infanticidii ſuſpicionem indirecte mouentes.

Atque ita viduae, foeminae adulterae,

qua[e]

quaecunque aliae pudicitiam ſuam proſtituentes,

I) grauiditatem vel occultantes, vel

II) clandeſtine parturientes, quarumque

III) foetus demortuus in corpore laeſionum exhibet veſtigia, *indirecte*

infanticidii mouent ſuſpicionem.

§. DXXXIV.

Infanticidii indagatio cauitatum perluſtrationem requirit.

Cumque veſtigia laeſionum externa, matrem infanticidii ream pronunciandi, haud ſufficiant (§. DXXII.) ob id internarum quoque partium, ſupremae nimirum, mediae, atque infimae cauitatis viſcerum perluſtratio erit inſtituenda.

§. DXXXV.

Signa in capite occurrentia.

Inter ſigna violentiae adhibitae interna, in capite occurrentia, ſola iſta ſanguinis profuſio & ſugillatio, ab acus perforatione in nucha, vel in fontanella, vel circa tempora excitata (§. DXXXII.), matris malitiam directe indicat; reliquae capitis laeſiones, omnes cranii compreſſiones, fracturae, atque cerebri vulnera, vel in partu, vel poſt partum, matre inſcia & non concurrente, foetui facillime poſſunt accidere; hinc *ſuſpicionem* tantummodo mouent *dubiam.*

§. DXXXVI.

Signa ex corde deſumenda.

In thoracis cauo, nullis veſtigiis laeſionum

num aliis externis in conſpectum venientibus, atque, infantem ab haemorrhagia per funiculum vmbilicalem eſſe enecatum, orta ſuſpicione, cordis machina, huiusque ventriculi & auriculae ſunt examinandae. His enim nonnihil turgidis atque ſanguine repletis, foetum non ex ſanguinis profuſione mortuum eſſe, certiſſime iudicatur.

§. DXXXVII.

Pulmonum docimaſia inſtituenda.

Ptaeter cordis explorationem (§. DXXXVI.), pulmonum *docimaſia* iſta vſitata, & hucusque recepta, in aqua inſtituenda, quae tanti quondam habita, vt vel ſola hac, de matris, infanticidii crimine ſuſpectae, morte & vita decerneretur. Aſt enim recentiores, res qualescunque ad rationis trutinam paulo curatius examinantes, experimentum illud fallax minusque fidum pronunciant. Non obſtante tamen iſta declamatione, pulmones in aqua fundum petentes, ſemper pro matris innocentia millitant.

§. DXXXVIII.

Docimaſia pulmonum dubia deprehenditur.

Experimenti huius (§. DXXXVII.) fides, in caſu vtroque, pulmonibus ſubmergentibus & natantibus, variis ex cauſſis dubia redditur, & absque ſignis collectiue ſumtis aliis, neque contra matrem infanticidii ſuſpectam, neque etiam foetum iam ante vel poſt partum eſſe demortuum, teſtimonium ſuggerit manifeſtum & infallibile u).

u) BOH-

u) BOHNIVS, de lethal. vulner. p. 171. de duplici medici officio p. 662. LVDOVICI in comment. ad C. C. art. 39.

§. DXXXIX.

Pulmones in aquam proiecti quare fundum petant.

Geſtationis tempore, foetus pulmonibus ſanguis per arteriam pulmonalem non intruditur, ſed immediate a cordis ventriculo dextro, per tubum arterioſum & foramen ovale, ad arteriam magnam & ventriculum progreditur ſiniſtrum; cumque aëris acceſſus ad pulmones tunc temporis plane ſit interruptus, magis collapſi deprehenduntur; hinc etiam in aquam proiecti fundum petere debent ex neceſſitate.

§. DXL.

Pulmones quare ſupernatent?

Quam primum vero foetus naturae dereliquit aruum, aura vitalis in pulmones ſponte irruit propria, ab iisdemque reciproce attrahitur. Hinc pulmones, quorum veſiculari ſubſtantiae, aër ſemel ingreſſus, ſeſe ita impingit firmiter, vt nusquam eandem penitus derelinquat, expanduntur leuioresque redduntur. Ideoque vel in fruſtula diſciſſi, vel integri exemti, aquae ſupernatant; ex quo phaenomeno foetum vel reſpiraſſe, vel non reſpiraſſe colligitur.

§. DXLI.

Ex foetus reſpiratione, viuum illum eſſe excluſum, non valet conſequentia.

Etiamſi ex pulmonum natatu foetum reſpiraſſe

ſpiraſſe probari poterit (§. DXXXIX. — DXL.), minime tamen eundem viuum eſſe excluſum, debet & poteſt inferri; quum foetus, ſola etiam ſui ipſius culpa, nimirum propter ſitum eius vitiatum, quando foetus, corpore toto reliquo reflexo, cum facie ad vteri oſtium procumbens, ſub partus laboribus ſpiritum quidem attraxerit, in progreſſu vero, antequam vlterius excludatur, vel ex colli vertebrarum contorſione & dimotione, vel ex iuguli compreſſione, propter viarum anguſtias, vel quando funiculus vmbilicalis foetus collo circumuoluitur, atque ita fauces conſtringuntur, matre nullatenus concurrente, vita queat ſpoliari.

§. DXLII.

Pulmones, inſlatione vel aliena vel propria ſupernatant.

Praeter hoc, quo poſitum eſt, foetum poſt aurae receptionem, intra vterum adhuc poſſe enecari, (§. DXLI.), etiam reſpiratione non praegrediente, pulmones poſſunt ſupernatare, quando mulierculae obſtetricantes, foetum, intra vterum, ex cauſſa quacunque enecatum, pro debilitato & ſyncoptico habentes, eius ori flatum immittunt, illumque reſuſcitandi & refocillandi operam impendunt omnem. Hinc Iudex in quaeſtione de pulmonum *natatu*, num inflatione *propria*, vel *aliena*, pulmones ſupernatauerint, omnimode ſciſcitari debet.

§. DXLIII.

§. DXLIII.

Pulmones foetus, accedente putredine ſupernatant.

Inſuper etiam aër pulmonibus naturaliter inſitus & congenitus, corruptione putredinoſa ſui iuris factus, ſubſtantiam pulmonum veſicularem perinde poteſt extendere, ac ſi propria vel aliena inflatione (§. DXLI.) eſſet expanſa. Itaque pulmones ſupernatantes, ſi foetus diutius paululum fuerit excluſus & putredinem iam iam contraxerit, teſtimonium de matris crimine falſum omnino ſuggerunt.

§. DXLIV.

Pulmonum ſubmerſio de matris innocentia non ſemper teſtatur.

Neque etiam e pulmonum ſubſidentia, licet in caſu dubio pro matre ſemper militet (§. DXXXVII.), ſi foetui fortaſſis ſyncoptico, vel ob partus difficultatem debilitato, antequam reſpirauerit, ſpiritus fuerit praecluſus, vel ſi in balneo peperit mulier, atque hac ratione acceſſum aëris ad foetus pulmones interceperit, vel ſi pulmones foetus calculis, ſcirrhoſisque concrementis fuerint referti, de matris innocentia argumentum elicitur, nullatenus infringendum x).

x) Conf. BOHNIVS de lethal. vulner. p. 171. ZELLERI diſſert. de pulmon. natant. SCHOEPFER de infant. pnlmon. natant. & ſubmergentibus.

§. DXLV.

Foetus num viuus prodierit, ex viſcerum abdominis conſtitutione cognoſcendum.

Quemadmodum vero ex reliquorum viſcerum

ſcerum conſtitutione naturali, foetus ante partum non demortui ſigna deſumſimus (§. DXXXV.—DXLIV.), ita ratione haud diſſimili ex abdominis viſcerum integritate & conformatione decenti, foetum viuum prodiiſſe, probabiliter concludimus.

§. DXLVI.

Funiculus vmbilicalis examinandus.

Antequam vero ad abdominis interiora accedimus, funiculi vmbilicalis conſtitutio erit contemplanda, num videlicet ſit deligatus nec ne? numque ex deligato funiculo ſanguis profluxerit nec ne? In priori caſu, id quod ex viſcerum abdominis, imprimis ex hepatis & lienis pallore, atque vaſorum maiorum exinanitione cognoſcimus, foetum *viuum*, in poſteriori vero, *mortuum* eſſe excluſum, coniecturare licebit.

§. DXLVII.

Placentae vterinae et funiculi putredo in infante recenter excluſo, pro matris innocentia militat.

Funiculi vmbilicalis, perinde ac placentae vterinae praua conſtitutio, praecipue ſi in infante recenter excluſo hae partes putredine fuerint correptae, foetum iam ante partum demortuum eſſe, teſtimonium ſuggerit omnino fallere neſcium. In caſu vero contrario, vbi adhuc ſub Iudice lis eſt, iſta putredo, num intra vterum, num potius extra eundem ſit accerſita? pro matris innocentia haud quaquam militat.

SCHOLION.

SCHOLION.

Exempla perinde occurrunt alia, quibus ſecundinae a foetu iam iam ſeparatae, propter vteri oſtium praemature clauſum, iuſto diutius retinentur, atque ita intra vterum putrilaginem, foetu ſuperſtite manente facillime adſumunt.

§. DXLVIII.

Quaeſtio de vulnerum lethalitate circa adultos frequentius occurrit.

Homines extra illud aetatis ſtadium (§. DXXI. — DXLVII.) conſtituti, iisdem fere plerisque adminiculis, quibus infantes vita malitioſe ſpoliantur, poſſunt interfici; cum armorum vero impetus, & violentia quaeuis alia, in adultos cadat frequentius; hinc ſpecialiter quoque circa hos, num vulneratus ex *vulnere*, numque ex *alia* potius cauſſa ſit demortuus? quaeſtio (§. DXVIII.) mouetur.

§. DXLIX.

Vnitas quid ſit?

Iſta igitur humani corporis conſtitutio naturalis, qua ſolidae partes omnes artificioſiſſime ita ſunt conſtructae, vt vnam quaſi efforment compagem, ſicque fluidis ad loca determinata tranſitum concedant debitum, *vnitas* vocatur; vi autem contrariorum, vbi nec ſolida, nec fluida cohaerent, *vnitas* dicitur *ſoluta.*

§. DL.

Fluidae et ſolidae partes valde diſcrepant.

Fluidae noſtri corporis partes quemadmodum ratione fluiditatis haud parum inter ſe

diſcrepant; ita & ſolidae omnes ſimiliter notabilem ſoliditatis oſtendunt differentiam, adeo vt aliae minus, aliae vero magis ſibi implicatae vel complicatae deprehendantur, illae *molliorum*, ſeu *carnoſarum*, hae vero *duriorum*, ſeu *oſſearum* partium nomine ſolent inſigniri.

§. DLI.

Pro ſolidarum partium differentia, vnitatis ſolutae ſpecies dantur diuerſae.

Pro ſolidarum harum partium implicatione & complicatione diuerſa (§. DL.) etiam variae vnitatis *ſolutae* & *mutatae* (§. DXLIX.) oriuntur ſpecies.

§. DLII.

Contuſio quid ſit?

Vbi igitur vtriusque, mollioris & durioris partis (§. DL.), fibrae, ab obiecto duro impulſae, non actu diuiſae ſunt omnes, ſed pleraeque adhuc integrae manſere, iſta *ſolutae vnitatis* ſpecies, *contuſio* nominatur. Ergo contuſio tum in parte carnoſa, tum quoque *oſſea* habet locum.

§. DLIII.

Vulnus et fractura quomodo differant?

Fibrae vero omnes ab obiecto duro impulſae, ſi ita diuiduntur, vt hiatus conſurgat manifeſtus, in parte *molliori* (§. DL.) *vulnus*, in *duriori* vero (§. DL.) *fractura* nuncupatur.

§. DLIV.

Vulnerum diuiſio.

Vulnera (§. DLIII.), intuitu ſubiecti inhaeſionis,

ſionis, in vulnera *capitis*, *thoracis*, *abdominis*, *arteriarum*, *venarum*, *neruorum*, *carnis*, &c. diuiduntur; ab inſtrumento vulnerante, vulnus per *morſum*, per *globulum*, vel ſi ab obiecto acuto caeſim, *ſectio*, vel ſi ab inſtrumento acuto in vno puncto factum ſit, *punctura* dicitur.

§. DLV.

Fracturarum diuiſio.

Fractura (§. DLIII.), in fracturam proprie ſic dictam, ſeu *transuerſim*, & in *fiſſuram*, id eſt in fracturam ſecundum *longitudinem* factam, & in *contrafiſſuram*, quando pars oſſis oppoſita, quae ab obiecto laedente non contacta, diſcinditur, ac denique in *comminutionem*, vbi os in plura fruſtula eſt proſciſſum, diuiditur.

§. DLVI.

Luxatio et ſubluxatio ſolutae vnitatis ſpecies.

In parte vtraque molliori & duriori (§. DLIII.), mutatae vnitatis ſpecies datur adhuc alia, qua videlicet oſſa ex alueo ſuo proprio vel *parum* recedere, vel *ſedem* prorſus aliam praeripere, ab obiecto duro impellente coguntur; iſta *ſubluxationis*, haec vero *luxationis* venit nomine.

§. DLVII.

Vnitas ſoluta ratione eventus in lethalem et non lethalem diuiditur.

Vnitatis mutatae ſpecies recenſitae omnes (§. DLII. — DLVI.) vel absque vitae periculo deprehenduntur, vel cum vitae periculo ſunt coniunctae; iſtae *non lethalium*, hae vero *lethalium*

lium inſigniri ſolent nomine. Aſt enim vitae illud detrimentum, ſolutam vnitatem non vno ſemper eodemque gradu comitatur, ſed alia magis, atque alia minus periculoſa deprehenditur; hinc illam etiam in *abſolute* & *ſecundum quid* lethalem diſtinguunt.

§. DLIIX.

Lethalitas abſoluta, et ſecundum quid?

Soluta vnitas *abſolute* (§. DLVIII.) lethalis vocatur, qua actiones vitales ita conturbantur & ſufflaminantur, vt vel nullo naturae aut artis auxilio reſarciri & in priſtinum reuocari queant; *ſecundum quid lethalis* (§. DLVIII.) dicitur, qua potentiae vitalis exercitium non aboletur penitus, ſed conturbatur tantummodo, & conſequenter vel naturae, vel artis ope haud raro poteſt integrari.

§. DLIX.

Vita hominis quid ſit?

Vita hominis in vnione mentis cum corpore conſiſtit (§. II.); connubium vero vtriusque, partium corpus conſtituentium motu continuo & ordinato ſuſtentatur & conſeruatur.

§. DLX.

Ad vitae conſeruationem partium ſolidarum et fluidarum cohaerentia requiritur.

Partes corporis conſtitutiuae, tum ſolidae tum fluidae, motum ſubire nequeunt, niſi earundem *cohaerentia*, qua nimirum ſolidae fluidis tranſitum concedunt determinatum (§. DLX.), ſimul tuetur & conſeruatur.

§. DLXI.

§. DLXI.

Ex deſtructa partium cohaerentia proſiciſcitur mors.

Quicquid igitur partium ſolidarum & fluidarum *vnitatem* ſeu debitam *cohaerentiam* (§. DXLIIX.) poteſt deſtruere, illud etiam earundem motum perennem (§. DLIX.) & indeſpendentes actiones vitales turbandi & ſufflaminandi, conſequenter etiam lethalitatem vel *abſolutam*, vel *ſecundum quid* (§. DLVII.), inferendi pollet efficacitate.

§. DLXII.

Lethalitatis ratio duplex deprehenditur.

Ratio igitur lethalitatis, tum *abſolutae*, tum *ſecundum quid* (§. DLVII.), vel in vnitatis deſtructae *magnitudine* & *numero*, vel in partis laeſae *nobilitate* & ad *vitalitatem neceſſitate*, eſt quaerenda.

§. DLXIII.

Continui ſolutio in ſuperficiariam et profundam diſtinguitur.

Continui ſolutio, a cauſſa quacunque violenta externa producta, intuitu huius *magnitudinis* (§. DLXII.), in *ſuperficiariam* & *profundam*, eaque vel in *paruam*, vel in *magnam* apprime rectiſſime diuiditur.

§. DLXIV.

Continui ſolutio ſuperficiaria parua et magna, quid ſit?

Solutio continui *ſuperficiaria parua* (§. DLXIII.) dicitur, quae non longe lateque extenſa, corporis tantummodo ferit ambitum;

ſuperficiaria magna vocatur, quae partes quidem corporis exteriores ferit, magis tamen in longum & latum deprehenditur extenſa.

§. DLXV.

Solutio continui ſuperficiaria parua non eſt periculoſa.

Continui ſolutio ſuperficiaria *parua* (§. DLXIV.), *contuſio* nimirum *leuis*, *vulnera minora*, *fiſſurae*, exteriorem oſſis laminam tantummodo penetrantes, immo & *ſubluxationes*, quibus quippe vaſa ſanguifera & neruoſa neque maiora, neque ipſa laeduntur viſcera, horumque actiones vitales haud quaquam conturbantur, non magni momenti, & plerumque absque periculo eſſe ſolet.

§. DLXVI.

Continui ſolutio ſuperficiaria magna periculum portendit diuerſum.

Solutio continui *ſuperficiaria magna* (§. DLXIV.), pro vaſorum ſanguiferorum & neruoſorum magnitudine & multitudine diuerſa, uitae etiam periculum minatur varium.

SCHOLION.

Continui ſolutioni etiam *ligaturas fortiores*, diutiusque protractas, quae, licet in ſignificatu ſtrictiori, perinde ac luxatio & ſubluxatio (§. DLXV.) non ſint continuitas deſtructa, quatenus vero & his perinde ac illis, fluidorum tranſitus ac locum determinatum penitus intercipitur (§. DLXII.), merito annumerandas eſſe iudicamus.

§. DLXVII.

Continui ſolutio profunda et magna quid ſit?

Continui ſolutio *profunda* & *magna* (§. DLXIII.)

DLXIII.) dicitur, quae ſecundum trinam dimenſionem multum extenſa deprehenditur.

§. DLXIIX.

Continui ſolutio profunda ſecundum quid lethalis.

Ideoque *contuſiones, concusſiones, vulnera, fiſſurae* & *luxationes* (§. DLIII. — DLVII.) ad profundum, cerebri nimirum ſubſtantiam, ſpinalem medullam, pulmones & cor, ad canalem alimentarem, hepar, lienem, renes, veſicam vrinariam, vterum atque reliqua generationi dicata organa penetrantes, harumque partium rupturas efficientes, propter ſanguinis & ſpirituum profuſionem, atque viſcerum actiones turbatas, hominem in maximum & extremum vitae diſcrimen facillime poſſunt deducere.

SCHOLION.

Damnum illud (§. DLXIIX.) eo erit praeſentius, ſi humores, intra caluariam, vel thoracis atque abdominis cavitatem eiaculati, non derepente educi & remoueri poterint, ſed ibidem locorum corruptionem vel ſuppuratoriam, vel cadaueroſam adſumſerint, eandemque ſuam necroſin partibus vicinis iam denuo implantauerint.

§. DLXIX.

Continui ſolutio profunda dicitur parua.

Continui ſolutio *profunda* (§. DLXVIII.), non ſemper magna (§. DLXVI.), ſed interdum etiam *parua*, id eſt ad dimenſionem tantummodo vnicam extenſa deprehenditur, e. gr. *punctura*, ſiue vulnus inſtrumento acuto cor-

pori inflictum (§. DLIV.), quae ad cauitatem penetrans, licet viſcera contenta non attigerit, tamen propter anguſtam capacitatem, & inde pendentem humorum effuſorum eductionem maxime difficilem, lethalitatem ſecundum quid debet & poteſt inferre.

§. DLXX.

Continui ſolutio quotuplex ratione numeri?

Ratione numeri (§. DLXII.) ſolutio continui eſt vel *vnica*, vel *multiplex*, vtraque vel *parua*, vel *magna*; illa cum *ſuperficiaria parua* (§. DLXIIX.) coincidit; haec autem modo *ſuperficiaria magna*, modo *profunda magna* (§. DLXVI. — DLXVII.) deprehenditur, & cum illa, ratione periculi, omnimode erit comparanda.

§. DLXXI.

Continui ſolutiones plures paruae.

Continui ſolutiones *plures paruae* (§. DLXX.), vno eodemque tempore, partibus etiam minus principalibus inflictae, praecipue ſi ex iisdem ſimul vaſa laeduntur maiora, propter ſanguinis profuſionem maiorem, perinde ac *vnica magna* (§. DLXVI. — DLXVII.), lethalitatem poſſunt inferre.

SCHOLION.

Tò lethale, non in ſola ſanguinis profuſione largiori, (§. DLXXI.) ſed in febris etiam inflammatoriae, quam plures laeſiones ſimul inflictae ſemper comitem ſolent ſumere, magnitudine erit ponendum.

§. DLXXII.

§. DLXXII.

Continui ſolutiones plures magnae.

Continui ſolutiones *plures*, eaeque *magnae* (§. DLXX.), pro ratione partis laeſae, atque ipſius laeſionis magnitudine, etiam ſchema ludunt magis vel minus periculoſum.

§. DLXXIII.

Solutio continui intuitu partis laeſae diſcrepat.

Intuitu partis laeſae, cuius quippe vſus vitae oeconomiam vel reſpicit propius, nec ne (§. DLXII.), continui ſolutio, in *magis* vel *minus* principalium partium laeſionem diſtinguitur.

§. DLXXIV.

Pro ratione nobilitatis partium variat periculum.

Atque etiam in relatione ad iſtum vſum (§. DLXXIII.) continui ſolutio in parte *minus principali*, non magni momenti plerumque eſſe ſolet; in parte vero *magis principali*, ſemper minatur periculum, & non niſi a ſubiecto paululum robuſtiori ſuperari poteſt.

§. DLXXV.

Concuſſio cerebri leuis interdum deleteria.

Adeoque a cerebri compreſſione & concuſſione leui, multos vita eſſe priuatos, teſtantur Medicorum obſeruata a). Interim tamen & alia exempla in contrarium, ipſius nimirum cerebri ſubſtantiae vulnera, etiam grauiora, absque vitae diſpendio fuiſſe impreſſa, paſſim ab Auctoribus practicis producuntur b).

a) HILDANVS Obſeru. 21. cap. 1. BLEGNY Zodiaco Gall. ann. 1681. menſ. Oct. Obſ. 7.

b) A. N. C. Cent. 5. p. 421. Dec. 1. an. 2. p. 195.

SCHOLION.

SCHOLION.

Laeſionis cerebri euentum illum diuerſum (§. DLXXV.) anſam Veteribus praebuiſſe, v vel circa vulnera cerebri miracula fieri, v medullaris tantummodo ſubſtantiae incu ſum, lethalitatem inferre, ſibi habuerin perſuaſum, opinamur.

§. DLXXVI.

Concuſſiones cauitatum ſemper periculoſae.

Reliquarum cauitatum, perinde ac totiu ſpinae concuſſiones violentae, ad profundu penetrantes, intuitu partium ſubſtratarum vitae oeconomiam propius reſpicientium haud quaquam vacant periculo, ſed propte vaſorum ſanguiferorum & neruoſorum, imm & ipſius ſubſtantiae parenchymaticae deſtru ctionem, mortem inferre ſolent plerumque ſu bitaneam c).

c) A. N. C. Dec. 2. ann. 10. Obſeru. 171. Dec. II ann. 3. Obſeru. 82. Act. Berol. Dec. I. Vol. I pag. 86. GARMANNVS lib. I. tit. VIII. §. 47. 4

§. DLXXVII.

Vulnera cerebri minora, in vere et apparenter talia diſtinguuntur.

Vulnera cerebri *minora*, vel *vere*, v *apparenter* talia exiſtunt, illa in ſuperficie ha rent, & non largam ſanguinis profuſionem h bent coniunctam; haec autem in ſuperficie ſe quidem dant in apricum, attamen ad profu dum ſimul penetrant, ibidemque modo ſe habent prorſus contrario, ac propterea, lic *parua* deprehendantur, ſemper manent ſuſp cta, & *ſecundumquid* plerumque euadunt *lethali*

CO

CONSECTARIVM.

Ergo in vulnerum enumeratione, vulnus cerebri *paruum*, pro *magno*, atque *magnum*, pro *paruo* ſaepe declaratur; conſequenter effectum cauſſae ſuae contrariari (§. DLXXVII.) falſe putatur.

§. DLXXVIII.

Humores extrauaſati metaſchematismum adſumunt.

Humidum quodcunque, a vulnere minori, quantitate etiam non magna extrauaſatum, quemadmodum in corpore toto reliquo, ita etiam intra cerebri ſubſtantiam effuſum, vel *diſſipatur*, & in poros laterales denuo recipitur, vel *exſiccatur*, adeoque tumorum per *exſiccationem* ſic dictorum geneſi praebet anſam d)

d) Exempla calculorum intra cerebri ſubſtantiam ex hac cauſſa enatorum recenſentur in A. N. C. Dec. 2. ann. 1. Obſ. 33. 131.

§. DLXXIX.

Humidum extrauaſatum exſiccatum, laeſioni nouae ſaepe praebet anſam.

Interim tamen & humidum illud extrauaſatum ac exſiccatum (§. DLXXVIII.) premendo partes vicinas, denuo laeſionem, conſequenter etiam humorum effuſionem nouam aliam haud raro ſolet producere.

SCHOLION.

Sub hoc igitur tegmine (§. DLXXIX.) latitat ratio, quare homines leui capitis vulnere ſauciati, atque denuo ſanitati reſtituti, temporis intercapedine longa intercedente, ſaepe ruant derepente, ac praeter opinionem vitam derelinquere cogantur.

§. DLXXX.

§. DLXXX.

Humores effuſi corruptionem adſciſcunt.

Humores vero quantitate paululum maior intra cerebrum effuſi, *diſſipationem*, *reſorbtionem* & *exſiccationem* (§. DLXXVIII.) plane nullam admittunt, ſed corruptionem adſciſcunt, vel *ſuppuratoriam*, vel *cadaueroſam*; illa *plerumque* & *ſecundum quid*, haec autem *ſemper* & *abſolute* lethalis euadit.

§. DLXXXI.

Vulnera partium cerebro vicinarum periculoſa ſunt.

Partium cerebro vicinarum vulnera, *meningum*, *frontis*, *temporum*, *muſculorum maxillam inferiorem attollentium* & *deprimentium*, *naſi*, *oculorum*, *linguae*, *arteriarum colli*, *tracheae* & *oeſophagi*, vel propter functionem vitalem turbatam & abolitam, periculoſa & *ſecundum quid* lethalia aeſtimantur.

§. DLXXXII.

Temporum vulnera ab Hippocrate lethalia ſunt declarata.

Ita temporum vulnera diuus Senex iamdudum pro lethalibus declarauit, non propter conſenſum cum parenchymate ſubiacente, ſed ſpeciatim potius propter muſculos, ſine quorum deſtructione, temporum ſauciatio locum haud poteſt inuenire.

§. DLXXXIII.

Muſculus temporalis deglutitioni inſeruit.

Crotaphites, a temporum regione infra os iugale deſcendens, inferioris maxillae proceſſui

ceſſui acuto inſertus, huius organi eleuationi, ſine qua deglutitionis negotium plane non ſuccedit, corrugatione ſua ſaepius reciprocata, praecipue inſeruit.

§. DLXXXIV.

Muſculorum maxillam mouentium laeſio, eorundem actionem turbat.

Muſculo igitur crotaphite (§. DLXXIII.) deperdito, ipſa etiam actio eiusdem conturbatur & ſufflaminatur. Actione vero muſculi maxillam inferiorem mouentis & attollentis ceſſante, etiam maſticatio & ipſa deglutitio vacillat; hac denique penitus abolita, alimenta, quibus corporis partes deperditae & amiſſae debent reſarciri, per oeſophagi canalem ad ventriculi cauum haud quaquam poſſunt peruenire; quibus denegatis & deficientibus, etiam vita per breue tantummodo temporis ſpatium poteſt protrahi. Par erit ratio muſculorum reliquorum maxillam attollentium & deprimentium.

SCHOLION.

Deglutitionis negotium, muſculorum maxillam inferiorem attollentium & deprimentium reſectione grauiter turbari, nemo quidem inficias ire poterit; quatenus vero huic negotio aliquantiſper ſuppetias ferre, atque manibus maxillam eleuare, eandemque denuo deprimere, in noſtra poteſtate omnino poſitum ſit, eatenus etiam horum muſculorum vulnera (§. DLXXXI.—LXXXIV.) hoc reſpectu *abſolute* lethalia nullatenus ſunt dicenda.

§. DLXXXV.

§. DLXXXV.

Naſi et oculorum vulnera ſunt periculoſa.

Naſi & oculorum vulnera (§. DLXXXI.) non niſi ad profundum penetrantia, propter viciniam cum cerebro, ſemper periculoſa aeſtimantur. Speciatim tamen oculi ictus, obtuſo praecipue inſtrumento inflictus, ſimulque HOVII fontem feriens, illumque deſtruens, propter cerebri inundationem a ſanguine effuſo, internecionem cauſſatur repentinam e).

e) A. N. C. cent. 5. p 309. dec. I. ann. 8. obſ. 83. RHODIVS cent. I. obſeru. 78.

§. DLXXXVI.

Vulnera linguae euentum habent ancipitem.

Linguae vulnera (§. DLXXXI.) eiusque praecipue baſi inflicta, vel propter vicinitatem cum cerebro, vel propter diuerſae ſubſtantiae, muſculoſae, glanduloſae, vaſculoſae & neruoſae in vno organo concurſum, perinde vt vulnera multiplicia (§. DLX.—DLXXII.), euentus plerumque ancipitis eſſe ſolent.

§. DLXXXVII.

Arteriarum colli vulnera plerumque lethalia ſunt.

Arteriarum vulnera (§. DLXXXI.) quemadmodum in partibus corporis reliquis omnibus ſunt valde periculoſa, ita & colli praecipuae arteriae, ſpirituum metropoli ſanguinem aduehentes, non ſine vitae diſcrimine poſſunt ſauciari.

§. DLXXXVIII.

Oeſophagi et tracheae abſciſſio abſolute lethalis.

Oeſophagi & tracheae vulnera, propter

cerebri

cerebri viciniam eandem (§. DLXXXI.), dira quidem pericula haud raro minantur; ſola tamen horum organorum abſciſſio & ſeparatio plenaria, quippe qua vtrumque reſpirationis & deglutitionis negotium, ad vitalitatem maxime neceſſarium, penitus ſufflaminatur, mortis aperta & *abſoluta* via eſt.

§. DLXXXIX.

Thoracis vulnera ſunt periculoſa.

Thoracis vulnera, pulmonibus, tracheae & oeſophago, mediaſtino & diaphragmati inflicta, ſemper periculoſa ſunt, & plerumque euadunt lethalia.

§. DXC.

Vulnera cordis abſolute lethalia ſunt.

Vulnera cordis auriculis, ventriculis, thoracisque muſculis & vaſculis ſanguiferis inflicta, vel intuitu partis ad vitalitatem neceſſariae (§. DLXII.), vel ratione pluralitatis (§. DLXX.), ad organi quippe huius penetralia aditus non conceditur, niſi partes multae aliae, integumenta nimirum communia & propria, pulmones & pericardium ſimul laedantur, lethalitatem inferunt ſemper *abſolutam.*

§. DXCI.

Abdominis vulnera non abſolute lethalia.

Abdominis vulnera, & inter illa ventriculi, cum vaſorum maiorum dilaceratione coniuncta, propter motum viſceris huius perennem, conſolidationem aegre admittunt, hinc in ſchola Medicorum pro *abſolute* lethali-

bus, reclamente tamen experientia, habentur f).

f) RIEDLINVS lin. med. ann. 10. menſ. Oct. obſeru. 18. p. 855. WIEL obſeru. rar. cent. I. obſeru. 39. A. E. L. ann. 1726. menſ. Iun. pag. 288. ann. 1705. menſ. Iun. p. 287. ann. 1689. menſ. Nou. pag. 561. A. N. C. cent. IX. & X. obſ. 20.

§. DXCII.

Inteſtinorum canalis deſcribitur.

Canalis iſte longus, meſenterio annexus, a pyloro ad guttur inferius porrectus, alimentorum in ore praeparatorum receptioni atque vlteriori promotioni deſtinatus, *κατ᾽ ἐξοχὴν inteſtinorum* nomine ſolet inſigniri. Capacitatem & officium habet plane diuerſum, & intuitu huius, eidem quoque nomina impoſita ſunt varia.

§. DXCIII.

Inteſtinorum diuiſio.

Ratione amplitudinis huius (§. DXCII.), vel volentibus aliis, a contentorum conſiſtentia, inteſtina generatim in *tenuia* & *craſſa* diſtinguuntur, quae denuo ex ſex diuerſis fere aliis, *duodeno* nimirum, *ieiuno*, *ileo*, *coeco*, *colo* & *recto*, componuntur, quorum quodlibet munere ſuo fungitur plane peculiari.

§. DXCIV.

Inteſtinorum vſus explicatur.

Inteſtina inter tenuia (§. DXCIII.), *duodenum*, bilis & ſucci pancreatici receptioni pro futura chyli elaboratione, *ieiunum* vero & *ileon*, chyli maſſae reſorbtioni inſeruit; craſſa denique

que inteſtina, *coecum*, *colon* & *rectum*, recrementorum a chylo ſecedentium receptioni ſunt deſtinata.

SCHOLION.

Coeci inteſtini, vel a coeco ſuo vſu, vel ab apertura tantummodo ſua vnica ita dicti, appendiculam vermiformem notabili glandularum, ſuccum valde auſterum ſecernentium, pro conſtringenda & roboranda valuula coli, cui proxime annexa aeſtimatur, numero interius deprehendimus exornatam.

§. DXCV.

Vulnera inteſtinorum a Veteribus diuiſa.

Vulnera horum inteſtinorum (§. DXCII. — DXCIV.). Veteres in *longitudinalia* & *transuerſalia*, nec non in *tenuium* & *craſſorum* inteſtinorum vulnera, diſtinguere conſueuerunt, atque ex hac etiam laeſionum varietate, vitae & mortis praeſagia ſumſere diuerſa.

§. DXCVI.

A Recentioribus quomodo diuidantur.

Recentiores vero, absque habito ad iſtam diſtinctionem (§. DXCV.) reſpectu, inteſtinorum vulnera, integumentorum aperturae exacte reſpondentia, ſaltim periculoſa; contrario vero modo ſeſe habentia, vel ſi plane fuerint abſciſſa, *abſolute* lethalia pronunciant.

§. DXCVII.

Inteſtina absque vitae diſpendio abſcinduntur.

Quaelibet horum organorum (§. DXCII. — XCIV.) actio ita quidem eſt comparata, vt absque vitae dispendio nullatenus conturbari,

multo minus cohiberi & aboleri queat penitus. Interim tamen exempla proſtant plane multa, quibus inteſtina citra vitae diſpendium vehementer ſauciata g), immo & ipſa penitus fuerint abſciſſa h).

g) A. E. L. ann. 1682. p. 221.
h) A. Vrat. tent. XIV. p 552. A. Berol. dec. I. vol. 7. pag. 70. A. E. L. ann. 1715. menſ. Oct. pag. 465. ann. 1705. menſ. Iun. pag. 287. A. N. C. dec. I. ann. 9. 10. obſ. 232. cent. I. p. 43.

§. DXCVIII.

Quaenam inteſtina reſectionem admittant?

Quicquid vero de inteſtinorum reſectione & abſciſſione (§. DXCVII.) paſſim apud Autores relatum legimus, vnice illud ad *ileum, coecum* & *colon*, quippe quorum extrema abſciſſa, ſi integumentorum aperturae accurate reſpondent (§. DXCVI.), ligaturis conſtringi atque extra abdomen pendula conſeruari posſunt, quadrare videtur i).

i) A. N. C. centur. IX. p. 424. Act. Vrat. tent. XIV. pag. 252. A. E. L. menſ. Aug. pag. 345. ann. 1727. menſ. Iun. p. 273.

§. DXCIX.

Ilei abſciſſio non abſolute lethalis.

Ilei actio in chyli reſorbtione vlteriori quidem conſiſtit; quatenus vero iam in ieiuno maximam partem eſt peracta, ob id etiam, reſectione huius inteſtini, illud vitalis potentiae exercitium non penitus aboletur, ſed deprauatur tantummodo; conſequenter lethalitatem non *abſolutam*, ſed *ſecundum quid* ſolet inferre.

§. DC.

§. DC.

Inteſtini recti abſciſſio abſolute lethalis.

Inteſtini recti abſciſſio plenaria vix ac ne vix & non niſi partibus iisdem, cum quibus in ſexu vtroque vinculo connectitur arctiſſimo, ſimul deſtructis, locum inuenire poteſt; vel ſi aliqua talis concederetur, tamen propter partium laeſarum multitudinem (§. DLXXI.), partim etiam, quia non niſi, functione ſua ſimul ſublata, conſtringi, & conſequenter decenti ſuo loco poteſt aſſeruari, letho ſubduceret ſauciatos nullatenus.

§. DCI.

Duodeni et ieiuni abſciſſio abſolute lethalis.

Sic viciſſim *duodeni* & *ieiuni* portio reſecta, etiamſi ligaturis conſtringi atque extra abdominis cauum pendula conſeruari poterit, nihilo tamen minus vel chyli elaboratio, vel eiusdem ad ſanguinem progreſſus, hac conſtrictione, perinde ac ipſa reſectione, penitus impediretur. Hoc vero denegato, etiam vita haud vlterius protrahitur; conſequenter *duodeni* & *ieiuni* abſciſſio, inter vulnera *abſolute* lethalia locum non tenet infimum.

§. DCII.

Omenti vulnera ſecundum quid lethalia.

Membrana iſta reticulata, arteriis, venis, neruis, vaſis lymphaticis copioſiſſime intertexta, ſub peritonaeo inteſtinis proxime incumbens, omentum dicta, propter vſus, quos in oeconomia vitali praeſtat varios, absque

vitae periculo vix ac ne vix ſauciari poteſt. Interim tamen tot herniarum quotidie contingentium ſpecies, totque exempla alia, quibus illud organon absque vitae detrimento grauiter vulneratum, immo & portio eiusdem notabilis deperdita & abſciſſa fuerit, *omenti* vulnera ſaltim periculoſa eſſe, luculenter euincunt.

k) A. N. C. dec. 2. ann. 6. obſ. 198.

§. DCIII.

Meſenterii vaſorum vulnera abſolute lethalia.

Meſenterii vaſorum, praecipue maiorum, nec non lacteorum, & ciſternae chyli vulnera, vel quatenus ad iſtas partes non niſi laeſis ſimul aliis aditus conceditur, vt vulnera *mutiplicia* & *profunda* (§ DLXX. — DLXXI.) nocent, vel propter vitalis potentiae exercitium abolitum, chyli nimirum ad ſanguinem progreſſum vlteriorem interruptum, *abſolute* lethalia euadunt.

§. DCIV.

Hepatis vulnera non ſemper abſolute lethalia.

Hepatis vulnera *profunda*, vel propter vaſorum magnitudinem, multitudinem & varietatem, vel propter parenchymatis ſubſtantiam facile putreſcibilem, *abſolute; ſuperficiaria* vero, atque integumentorum aperturae reſpondentia, ſaltim *ſecundum quid* lethalia ſunt vocanda l).

l) A. N. C. dec. 2. ann. 5. obſ. 9.

§. DCV.

Lienis vulnera Veteribus haud quaquam periculoſa videbantur.

Lienem, fibroſo-vaſculoſum illud viſcus atro-

atro-rubens, in ſiniſtro hypochondrio ſitum, cum ventriculo, pancreate, omento, rene ſiniſtro & diaphragmate arctiſſime connexum, praeter ERASISTRATVM & DEMOCRITVM, plures etiam modernorum alii, e ſanguine extra vaſa coagulato, vel ex meris glandulis conflatum eſſe, falſis imaginibus ſibi habebant perſuaſum; cumque eundem in animalibus quibusdam, ſalua vitae integritate, exſcindi poſſe obſeruauerint, ſuperfluam & inutilem prorſus corporis partem; conſequenter etiam eiusdem vulnera haud quaquam periculoſa iudicarunt.

§. DCVI.

Lienis vulnera ſecundum quid lethalia.

Quandoquidem vero viſceris illius (§. DCV) ſubſtantiam ſumme vaſculoſam, huiusque vſum, hepatis functioni inſeruientem deprehendimus; hinc etiam eiusdem vulnera, praeſertim *magna* & *profunda*, inter quae imprimis militat *ruptura* huius viſceris, ex plagis & fuſtibus in regionem lienis factis, producta, abſolutam lethalitatem inferunt; immo etiam ſolas contuſiones grauiores, ſi non *ſemper* & *abſolute*, tamen *ſecundum quid* lethalium numero, iure meritoque adſcribimus.

§. DCVII.

Renum vulnera ſecundum quid lethalia.

Renum vulnera *ſuperficiaria*, perinde ad *profundum* penetrantia, conturbant quidem, ſed non abolent penitus viſcerum horum actio-

nes; hinc etiam non *abſolute*, ſed *ſecundum quid* lethalia ſunt dicenda.

§. DCVIII.

Renum abſciſſio abſolute lethalis.

Vbi vero illud organon (§. DCVII.) vel a vaſis ſuis ſanguiferis, vel ab vretere plenarie fuerit ſeparatum & abſciſſum, tale vulnus tum propter ſanguinis, & laticis-aquoſo ſalſi, in abdominis cauum, exonerationem, tum quoque propter actionis vitalis abolitionem, *abſolute* lethale euadit.

§. DCIX.

Renis abſciſſi lethalitas non in ſola actionis abolitione quaerenda.

Renum vſus in depuratione & ſegregatione humorum ſalſo-aquoſorum a maſſa ſanguinea vnice conſiſtit. Quoniam vero rene vno deficiente, idem tamen ſcopus, altero ſuperſtite, facillime poteſt obtineri m), atque per experientiam conſtat, quod iſta ſanguinis depuratione, ex quacunque cauſſa vacillante, humidum illud a ſanguine deciduum, vel per cutis, vel per inteſtinorum poros fuerit excuſſum; hinc etiam, rene vno vel altero abſciſſo, actio horum viſcerum non aboletur, ſed conturbatur, conſequenter etiam lethalitatis ratio, in *actionis vitalis* abolitione haud quaquam vnice erit quaerenda (§. DCVIII.).

m) A. N. C. Dec. 2. ann. 1. Obſ. 35.

§. DCX.

Veſicae vrinariae vulnera ſaltim periculoſa ſunt.

Veſicae vrinariae vulnera diuo Seni abſolute

lute lethalia videbantur; modernorum vero lithotomorum, calculos vel e fundo, vel circa ceruicem extrahendi dexteritas miranda, modo vulnus tegumentorum aperturae exacte reſpondeat, ſuadet ac teſtatur prorſus contrarium.

§. DCXI.

Vteri vulnera periculoſa ſunt.

Vteri vulnera, praecipue cum laeſione vaſorum maiorum, propter ſitum profundiorem & vaſorum turgeſcentiam, ſaltim *periculoſa* exiſtere, inſignis huius organi ſauciatio, ſecundinarum ſeparatione poſt partum, eiusque deſcenſus & prolapſus plenus, absque vitae & ſanitatis detrimento plerumque contingens, luculenter euincit.

§. DCXII.

Vulnera vaſorum maiorum abſolute lethalia.

Vaſorum denique maiorum, aortae, venae cauae, portae, reliquorumque vulnera, propter ſanguinis exonerationem in abdominis cauum, ex qua difficillime extrahitur & remouetur, *abſolute* lethalia ſunt dicenda.

§. DCXIII.

Artuum vulnera raro lethalia.

Artuum vulnera num vnquam lethalia ſint? a plerisque in dubium vocatur. Etenim membra iſta ventribus annexa, ad totius extenſi integritatem quidem pertinent, ſalua tamen vita a ſuo toto poſſunt ſeparari; conſequenter etiam eorundem vulnera haud quaquam lethalia euadunt.

§. DCXIV.

Artuum fracturae et fiſſurae non ſemper periculoſae.

Quod de artuum, partium quippe inte-gralium & minus principalium, *vulneribus* fui dictum (§. DCXIII.), idem etiam illud de eorundem continui ſolutione in parte durior facta, *fractura* nimirum & *fiſſura* (§. DLIV. — DLV.), valet omnino, cum correlatorum ſi vna eademque ratio.

§. DCXV.

Fractura lethalis euadit.

Iterim tamen *fractura* cum larga *comminutione* in tali loco facta, vbi a ſuo toto extenſo promta enchireſi ſeparari non poteſt, propter membri plenariam deſtructionem, & exinde ſubſequentem corruptionem cadaueroſam, lethalitatem non raro ſolet inferre.

§. DCXVI.

Cranii fracturae abſolute lethales.

Caluariae *fracturae* & *fiſſurae*, praeſertim nimis magnae, & ad baſin cerebri penetrantes, vel ſi ſuturarum & vaſorum ſanguiferorum maiorum laeſionem habent coniunctam, vel ſi cranii laminae ſecedentes, cum larga ſanguinis profuſione, cerebro profunde immerguntur, contrario prorſus ſeſe habent modo, & *abſolute* lethales ſunt vocandae.

§. DCXVII.

Luxatio et ſubluxatio.

Iſta denique ſolutae vnitatis ſpecies, qua oſſa ab obiecto duro quocumque impellente alueum

alueum ſuum derelinquere coguntur, *luxatio* nimirum & *ſubluxatio* (§. DLVI.), perinde ac reliquae (§. DLXXIII. – DCXVI.), pro ratione magnitudinis ipſius laeſionis, & partis laeſae ad vitalitatem neceſſariae (§. DXII.), pericula minatur varia.

§. DCXVIII.

Luxatio ſpinae perfecta abſolute lethalis.

Sic vertebrarum *colli*, atque *ſpinae* totius reliquae *luxatio perfecta* (§. DLVI.), non niſi ſimul contorſa & compreſſa eiusdem medulla, locum inuenire poteſt; conſequenter etiam totius ſpinae luxatio, exceptis ſacri & coccygis oſſis vertebris, quarum priores, propter coalitum harum partium, luxationem non concedunt, poſteriorum vero numerus praeternaturaliter auctus imminutionem & decurtationem facile admittit, inter laeſiones abſolute lethales merito erit collocanda.

§. DCXIX.

Maxillae luxatio abſolute lethalis.

Maxillae luxatio, non derepente reſtituta, propter actionis ad vitalitatem apprime neceſſariae, maſticationis & deglutitionis nimirum, abolitionem, lethalitatem inducit *abſolutam.*

§. DCXX.

Artuum luxationes non magni momenti ſunt.

Humeri, carpi, ſcapulae, coſtarum, tibiae ac tali luxationibus, vitales actiones parum conturbari, inter omnes rei huius non penitus ignaros propalam conſtat.

§. DCXXI.

§. DCXXI.

Luxatio femoris abſolute lethalis.

Femoris luxatio perfecta, quippe quae abſque ligamenti teretis, atque vaſorum ſanguiferorum maiorum dilaceratione haud quaquam accidere poteſt, iam dudum HIPPOCRATI abſolute lethalis videbatur, & quicquid apud Autores de femoris luxatione ſanata & feliciter reſtituta paſſim adducitur n), & quod PLINIVS de morbo ſuo populari, *ſcelotyrbe* dicto, aſſerit, non de perfecta oſſis huius e ſinu ſuo dimotione, ſed de ſola eius ſubluxatione valere, rationis dictamine omnino ſumus deuicti.

n) Act. Berol. Dec. I. Vol. 5. p. 54. 55. Vol. 10. p. 109.

§. DCXXII.

Subluxatio actiones haud ſufflaminat.

Longe tamen aliter ſeſe habent harum partium (§. DCXVII. — DCXXI.) *ſubluxationes* ſic dictae, quibus quippe oſſa non perfecte, ſed *aliquantulum* e ſinu ſuo dimouentur (§. DLVI.), conſequenter etiam actiones ad vitalitatem neceſſariae non ſufflaminantur, ſed conturbantur tantummodo.

§. DCXXIII.

Lethalitas per ſe et ex accidenti.

Quandoquidem vero vulneratus non *immediate* ſemper ex continui ſolutionis qualitate, ſed ex cauſſis etiam interuenientibus aliis, lumen vitale ſaepe deſerit (§. DXIX.); hinc vnitatem iſtam ſolutam in *per ſe*, & ex *accidenti* lethalem commode diſtinguimus. §.DCXXIV.

§. DCXXIV.

Continui ſolutio abſolute lethalis accidentia excludit.

Inter continui ſolutionem *abſolute* lethalem (§. DLVII.) & ſubſequens laeſi fatum exitiale, cauſſa alia poteſt intercedere prorſus nulla; ſed quicquid talem continui ſolutionem ſequitur, illud omne laeſioni, tanquam cauſſae ſuae immediatae, tribuitur.

§. DCXXV.

Lethalitas ſecundum quid ex accidenti lethalis euadit.

Ergo diſtinctio iſta, in ſolutam vnitatem *per ſe*, & ex *accidenti* lethalem (§. DCXXII.), non de lethalitate valet *abſoluta* (§. DCXXIV.), ſed ad lethalitatem *ſecundum quid* (§. DLVII.) tantummodo quadrat.

§. DCXXVI.

Quid ſit τὸ lethale per ſe.

Solutio continui *per ſe* lethalis (§.DCXXIII.) vocatur, quae propria quidem ſua qualitate actiones vitales ita conturbare & ſufflaminare valet, vt facile exinde mors ſequatur, naturae tamen beneficio, vel artis auxilio interdum in priſtinum reparari poteſt. Coincidit ergo cum continui ſolutione ſecundum quid lethali (§. DLVIII.).

§. DCXXVII.

Per accidens lethali, per ſe lethale opponitur.

Τὸ *per ſe* lethale (§. DCXXVI.) per *accidens* lethali opponitur, & continui ſolutioni tantummodo conuenit tali, quae non effectiue & immediate enecat vulneratum, ſed cauſſis accedentibus & interuenientibus aliis fatalem adſcribit exitum.

§. DCXXVIII.

§. DCXXVIII.

Mortis cauſſae accidentales vnde originem ſumant?

Cauſſae iſtae *accidentales* (§. DCXXVII.), laeſionem & mortem interuenientes, vel ex *vulnerati*, vel ex *medentis* culpa plerumque ſuam nanciſcuntur dependentiam.

SCHOLION.

Vulnerantis *culpa*, accidentalis cauſſa ſi intervenerit, quando ex. gr. vulnus inſtrumento venenato fuerit inflictum, quo reſpectu vulnus paruum, ac viliori corporis parti inductum, quum cauſſa eiusmodi intercedens medenti ſit plane incognita, & veneni agendi modus non niſi a *poſteriori* & *effectu* iam facto innoteſcat, non ex *accidenti*, ſed *abſolute*, & ex ſua *qualitate* lethale erit pronunciandum.

§. DCXXIX.

Ex errore a vulnerato commiſſo, ſolutio continui contingenter lethalis euadit.

Ex culpa vulnerati (§. DCXXVIII.) continui ſolutio *contingenter* lethalis euadit, ſi vel in rebus non-naturalibus errorem commiſerit, ſi e. gr. aëri liberiori ſeſe expoſuerit, gulae nimium indulſerit, atque potum ſpirituoſum copioſe adſumſerit; vel ſi vehementem corporis commotionem, ſiue animi incandeſcentiam inſignem admiſerit, ſicque febri inflammatoriae anſam dederit; vel ſi medentis opem friuole recuſaverit. In hoc caſu, vulneratum, ſi alias laeſio non abſolute fuerit lethalis, non *immediate* & *proxime* ex vulnere, ſed *contingenter*, cauſſarum nimirum accedentium & interuenientium iniquitate, vitam dereliquiſſe praeſumitur.

§. DCXXX.

Peculiaris conſtitutio vulnerati, laeſionem ex accidenti lethalem facit.

Sed praeter errorem iſtum a vulnerato commiſſum (§. DCXXIX.), laeſionem non *abſolute* lethalem, cauſſae etiam aliae interuenire poſſunt, propter quas vulnerans homicidii reus nullatenus erit pronunciandus, quando nimirum laeſioni, non ex vulneris ratione, ſed ex peculiari & propria mala corporis diatheſi, alius morbus, vel ſymptomata ſuperuenerint grauiora; e. gr. ſi aetate decrepita conſtitutus, pede fuerit ſauciatus, & apoplexia ſuperuenerit, tunc vulneratum non pedis vulnere, ſed apoplexia, quoniam hic morbus ſenibus communis & proprius deprehenditur, mortuum eſſe praeſumitur.

§. DCXXXI.

Lethalitas accidentalis ex medentis errore commiſſo.

Denique Medentis culpa (§. DCXXVIII.) continui ſolutio non abſolute lethalis, *contingenter* exitum ſumit fatalem, artifex ſi ſymptomata grauiora coërcendi & praeuertendi ignorauerit vel neglexerit; ſi arteriam fluentem compeſcere neſciuerit; ſi nimis frigidorum applicatione gangraenam cauſſauerit; vel ſi in caluariae comminutione trepanationem, atque feſtucarum cerebro impreſſarum extractionem omiſerit, vel errorem in medendo commiſerit alium: quo caſu exitiale fatum non vulneris magnitudini, ſed errori in medendo commiſſo omnino debet impertiri.

INSTI-

INSTITVTIONVM MEDICINAE-LEGALIS,

CAPVT VII.

DE PALMARIIS QVIBVSDAM VITAE ET SANITATIS ADMINICVLIS.

§. DCXXXII.

De ſalute et proſperitate reipublicae etiam reliqua, legum latores ſolliciti.

Quemadmodum vero ſacrata legum diſpoſitio, rempublicam, ratione non ſola vnica, ſed ex parte prorſus omni, tranquillam voluit atque beatam (§. CCCXIX.), ita iis quoque, quae ſanitatem atque vitae incolumitatem paulo cuſtodiunt propius, prudentiſſime proſpexit.

§. DCXXXIII.

Sanitatis cura Facultatibus et collegiis medicis relinquitur.

Temporariae huius proſperitatis cura (§. DCXXXII.)

DCXXXII.) viris ingenuis probatisque, artem medicam profitentibus, ſuperiorum iuſſu & conſenſu committitur. Horum virorum numerus indefinitus in academiis, vbi artem medicam docendo, iuventuti ſimul praeſunt, *Facultates*, extra vero iſta loca, Collegia conſtituit *medica*, quae curam in ſalutem publicam conuertunt omnem, adeoque iuribus, priuilegiis, & praerogatiuis gaudent plane ſingularibus.

§. DCXXXIV.

Collegia medica operam deſiderant ſubſidiariam.

Sanitatis conſulti, quum non ſolo proprio ſuo adiutorio, totius reipublicae incolumitatem praeſentem cuſtodire, deperditamque reſtaurare ſufficiant, hinc operam prorſus aliam requirunt ſubſidiariam.

§. DCXXXV.

Medici et Chirurgi medelam ſibi vindicant diuerſam.

Propter negotium illud grauiſſimum & ſumme oneroſum, (§. DCXXXIV.), artis medicae periti nonnulli internorum, alii iterum externorum morborum medelam ſibi vindicant; illi, ſenſu proprio *Medicorum*, hi vero, *Chirurgorum* veniunt nomine.

§. DCXXXVI.

Chirurgi et Medici ſcientia.

Vtriusque Medici & Chirurgi (§. DCXXXV.) *ſcientia*, vel *experientia* nititur ſola, vel certis *experientiae* & *rationis* principiis eſt ſuperſtructa; illi, *empirici* vocantur, atque his noſtris tem-

(*Kannegieſſ. Inſtit. Medic. legal.*) Q poribus,

poribus, ab Hygeae ſacrario procul abeſſe iubentur; his vero, *dogmaticis* & *rationalibus*, cura ſalutis publicae plena fide committitur.

§. DCXXXVII.

Fidem publicam medici iuramento obtinere debent.

Fidem hanc publicam (§. DCXXXVI.) Medici obtinere non ſolent, niſi iure iurando in academiis, in quibus ſimul Doctoris titulo, ornantur, praeſtitis praeſtandis reliquis, obſtringantur.

§. DCXXXVIII.

Praxis medica in clinicam et forenſem diſtinguitur.

Medici operam ſuam ſubſidiariam (§. DCXXXIV.) vel in *indiuiduorum*, vel *in totius reipublicae* commodum impendunt; hanc, *forenſem*, illam, *clinicam* nominamus praxin.

§. DCXXXIX.

Medicorum clinicorum diſtinctio.

Clinicam praxin exercentes (§.DCXXXII.) probati artifices, ſunt vel *Archiatri* & *Aulae Medici*, curam corporis *Principum* & *Megiſtanum* tenentes, vel *oppidani*, qui civibus tantummodo praeſto ſunt, vel *caſtrenſes*, qui domi & militiae, militum atque pauperum in *Xenodochiis* & *Noſodochiis* gerunt curam.

§. DCXL.

Singuli morbi quondam ſingulos ſuos habebant medicos.

Sectae empiricae (§. DCXXXVI.) affectatores quondam ſinguli, morbos tantummodo ſingulos ſuſcipiebant curandos, qui mos & hodierno

hodierno adhuc tempore, non inter medicos, ſed inter chirurgos invaluit. Adeoque *balneatores*, ſolas ſcarificationes & balnea miniſtrant; *Ophthalmici* ſeu *Oculiſtae*, ſolis oculorum affectibus ferunt ſuppetias; *Lithotomi* veſicae calculum ſecandi & extrahendi prae aliis, mira pollent calliditate; *Herniothomi*, herniis ſecandis & reparandis ſeſe tantummodo accomodant; *Dentifragibuli*, dentes euellunt, eosdemque dealbandi, ſtabiliendi & roborandi, impendunt operam; alii membra diſtorta, luxata & fracta unice reſtituunt.

§. DCXLI.

Archiatris et Aulae Medicis, infectos inuiſere non permittitur.

Archiatris atque *aulae Medicis* (§. DCXXXIX.) qui pro locorum diſparitate facultatibus & collegiis medicis vel praeeſſe, vel ſolent adiungi, indiuiduorum medela nequaquam interdicitur, ſed conſiliis atque opera, defatigatis ſuccurrere permittitur; nihilo tamen minus a morborum *putridorum*, *impurorum* & *contagioſorum* cura, ne videlicet contagium in principum palatia transferendo, ipſi Principes & Megiſtanes in vitae periculum coniiciantur, prorſus abſtineant. Id quod imprimis etiam quadrat ad famoſiſſimam iſtam peſtis varioloſae transportationem & inſitionem, iam dudum noſtro ante tempore, Anglis, Hiſpanis, Gallis & Italis, pro ratione euentus boni vel ſiniſtri, ſub grauiſſima indignatione penitus interdi-

ctam, atque iterum permiſſam: quippe qua miasma varioloſum, intra ciuitatem ac totam prouinciam, vel diutius ſuſtentari ac conſeruari, vel etiam metaptoſin, quum indolis ſpecificae haud quaquam deprehendatur, nouam inducere poſſe aliam, experientiae & rationis dictamine ſumus deuicti.

§. DCXLII.

Prudentia circa contagii diuulgationem adhibenda.

Medici viciſſim oppidani (§. DCXXXIX.) contagium (§. DCXLI.) ne vel minus caute, & nimis praemature *diuulgando*, vel diutius paululum illud *celando*, vniuerſae reipublicae damnum inferatur, prudentiſſimis auxiliis diaeteticis vel pharmaceuticis cito citius praevertere, legibus ſunt obſtricti.

§. DCXLIII.

Phyſicorum officium.

Praxin denique forenſem ſuſcipientes (§. DCXXXIIX.), medicorum prouincialium ſeu *Phyſicorum*, vel *generalium*, vel *ſpecialium*, titulo ſolent inſigniri; ad illos inſpectio generatim in rem medicam, & praecipue in *Phyſicos ſpeciales*, pertinet; his vero ſpeciatim, *vulnerum lethalium*, & *mortuorum repertorum* perluſtratio, *Chirurgorum*, *Operatorum*, *Balneatorum*, *Pharmacopoeorum*, *Seplaſiariorum*, *Aromatariorum* & *Obſtetricantium* examina, nec non *pharmacopoliorum* viſitationes, ex ſuperiorum iuſſu & voluntate demandantur.

§. DCXLIV.

§. DCXLIV.

Chirurgi, artem ſuam exercendi licentiam, examinibus obtinent.

Chirurgi (§. DCXXXV.) artem ſuam non in tonſtrinis, ſed in loco huic ſcientiae accomodato, a puero addiſcere, & perinde ac reliqui operatores (§. DCXLI.) ab operationibus manualibus omnibus, donec ſpecimine publico, examinibus videlicet conſuetis, ſuam dexteritatem propalam oſtenderint, prorſus abſtinere tenentur.

§. DCXLV.

Inſpectio vulnernm lethalium non ſolis chirurgis committenda.

Artem chirurgicam profitentibus, etiamſi ſubſidiis ad iſtam pertinentibus omnibus, ſufficienter fuerint inſtructi, haud tamen vnice disquiſitio vulnerum lethalium & periculoſorum, tum in viuis, tum quoque in demortuis, erit committenda, ſed Medicus etiam *forenſis* (§. DCXLIII.) ad vulnerati inſpectionem & perluſtrationem eſt arceſſendus, ne videlicet in caſu ancipiti, ſi laeſus fortaſſis conſeruari potuerit, in inſontem criminis ruat culpa; pariterque ne reus poenam ſubterfugiat promeritam, vterque medicus & Chirurgus, tempore debito, poſt primam nimirum deligationem, laeſum in vitae diſcrimine verſari, Magiſtratui indicare, legum dictamine eſt obſtrictus.

§. DCXLVI.

Submerſorum atque reliquorum repertorum mors ſaepe dubia deprehenditur.

Cumque mors *ſubmerſorum*, perinde ac reliquorum *repertorum* (§. DII. — DXI.), inprimis vero *lipothymicorum*, *Syncopticorum* & *apoplecticorum*, interdum valde dubia deprehendatur: propterea eiusmodi proſtrati, non ita derepente ad Sepulchreta vel Theatra anatomica traiiciantur, cuius rei exempla, *politiam* male & perverſe adminiſtratam indicantia, proſtant abunde, ſed remedia iſta ſingula, quae legibus ſaluberrima intentione praeſcripta, Medicus phyſicus & chirurgus, vnitis viribus, in ſubſidium vocare tenentur.

§. DCXLVII.

Pharmacopoei inſcitia ſumme nociua.

Haud aeque raro vtriusque *aegrotantis* vita, *et medentis fama*, pharmacopoei inſcitia & ignoratione poteſt periclitari; hinc artem pharmaceuticam qui vult profiteri, praeter latini ſermonis notitiam, illam non in minorum, ſed maiorum vrbium officinis, definito tempore, rite debet addiſcere.

§. DCXLVIII.

Pharmacopoei iuramento obligandi.

Artis huius (§. DCXLVII.) periti, antequam pharmacopoliorum Magiſtri conſtituantur, probitatis, morum, atque vitae integritatis teſtimoniis exhibitis, finito examine, ſi digni fuerint iudicati, edictis medicinalibus reue-

reverentiam & obedientiam debitam habere, viroſque honeſtos, probos & conſcientioſos ſe ſe omnimode praeſtare velle, iure iurando obſtringuntur.

§. DCXLVIIII.

Pharmacopoeis praxis medica eſt interdicta.

Secundum *edicta* iſta *iudicialia* (§. DCXLIIX.) pharmacopoeis, formulas concinnandi, atque ipſos aegrotantes inuiſere, hincque praxi medicae ſe ſe immiſcere, ſub poena grauiſſima prorſus interdicitur.

§. DCL.

Remediorum collectio et venditio.

Praeter dicta (§. DCXLVII. – DCXLIX.) Pharmacopoei, remedia *ſimplicia*, iuſto ac debito tempore colligere, aſſeruare, conſervare, pura, genuina, non adulterata, ſed ſecundum praeſcriptam normam & taxam, perinde ac *compoſita*, diuendere tenentur.

§. DCLI.

Remediorum compoſitio ſolis pharmacopoeis competit.

Remedia *compoſita*, ab aromatariis, ſeplaſiariis & ciniflonibus non cöemere, ſed manu propria componere, atque in eorundem praeparandi modo, vſitata, & a collegio medico praeſcripta *diſpenſatoria*, curate & ad amuſſim ſequi, aſtringuntur.

§. DCLII.

Venena et remedia fortiora non cuiuis diuendenda.

Sic etiam venena, remedia de venenis ſuſpecta, & quae vitae atque ſanitati noxam in-

inferendi pollent efficacitate, *draſtica*, *narcotica*, *ſaturnina*, aliaque *heroica*, *opiata*, *vomitoria*, *purgantia* fortiora, nec non menſes & foetum *pellentia*, absque Magiſtratus, vel medici forenſis praevia recognitione, non cuiuis diuendere obligantur.

§. DCLIII.

Pharmacopoliorum viſitatio quotannis ſuſcipienda.

Num denique Pharmacopoei, conſcientioſos, probos ac induſtrios ſe ſe praeſtiterint, numque in eorum officinis & laboratoriis bene geſta, atque iuſta lance adminiſtrata fuerint omnia, ab inſpectoribus & viſitatoribus, quos omni tempore facile admittere, iisdemque debitam reuerentiam & obedientiam praeſtare tenentur, quotannis erit disquirendum.

§. DCLIV.

Parturientium ſaluti leges proſpiciunt.

Respublica hominum futurorum prole facile deſtitueretur, atque genus humanum uniuerſum proxime ad interitum rueret, niſi parturientium ſaluti ſuppetias venientes alii atque iterum alii conſtituerentur.

§. DCLV.

Actum obſtetricantem tum viri, tum mulierculae exercent.

Negotium illud grauiſſimum, parturientium ſollicitudini ſubveniendi (§. DCLIV.) vel *viris*, artis obſtetricantis principiis ſufficienter inſtructis, vel *matronis*, vitam aeque honeſtam & religioſam degentibus, huiusque rei non penitus ignaris, committitur.

§. DCLVI.

§. DCLVI.

Obſtetrices, matrem vna cum foetu ſaluare, tenentur.

Vtrique *viri* & *matronae*, parturientibus manus auxiliatrices porrigentes (§. DCLV.), tempore diurno & nocturno promte adeſſe, atque muniorum ſuorum rationem omnimode ita habere tenentur, vt quantum fieri illud poteſt, genitrix vna cum nova prole, ſalua atque incolumis conſeruetur.

§. DCLVII.

Partus naturalis plerumque mulierculis committitur.

Circumſtantiis, quae parturientes plerumque ſolent comitari, rite & naturaliter ſe ſe habentibus omnibus, partus cura, ſolis matronis, peritis & approbatis, facile committitur; caſibus vero extraordinariis, periculo haud vacantibus, emergentibus, prole nimirum, vel matre demortua, vt vna vel altera ſuperſtes conſervetur, etiam viri, artis huius periti, auxilio erunt vocandi.

§. DCLVIII.

Obſtetricibus certa norma, qua munere ſuo perfungi debent, praeſcribitur.

Qua vero norma, dexteritate, fidelitate & diligentia, obſtetricantes, arduum illud opus conari teneantur, quibus denique horum, perinde ac reliquorum medentium omnium, labores & ſtudium, honorariis & praerogatiuis compenſandi, iam paſſim in diuerſis edictis & ordinationibus medicinalibus ſollicite praeſcriptum & conſignatum legimus.

§. DCLIX.

Obſtetricis cura poſt partum adhibenda.

Secundum eandem normam praeſcriptam (§. DCLIIX.) obſtetricantes, infantem nuperhanc in lucem editum, debilem & agonizantem, ante omnia, breuiſſima conſecratione, ſacris lymphis abluere, deinde vaſa vmbilicalia debita proportione & menſura circumſpecte deligare, matrem vero a ſecundinis caute ac ſollicite liberare, eiusque abdomen faſciis debite firmare & conſtringere, inſuper etiam tenello infantis corpori impuritates adhaerentes ſufficienter abſtergere, ac denique in vtroque caſu, matre nimirum vel foetu demortuo, dextram derepente porrigere, tenentur.

§. DCLX.

Obſtetricibus medicamentorum internorum vſus interdicitur.

Pariterque mulierculis obſtetricantibus, grauidis vel parturientibus, medicamenta foetum & ſecundinas pellentia, dolores poſt partum ſedantia, *opiata*, & *narcoſin* provehentia, ſic & infantilia tormina *mulcentia*, *ſomnumque concitantia* exhibere, ſaluberrima intentione prorſus interdicitur.

T A N T V M.

INDEX RERVM.

Numeri in hoc Indice non paginas, ſed paragraphos indicant.

A

Abdominis vulnera §. 591
Abortus promotio ab infanticidio differt 521. 522
— poena ordinaria non vindicatur 523
— Signa 524
— ex matre 525
— ex ipſo foetu 526
— ex matre & foetu 527
—& ſpurii differentia 29
— oritur ex cauſſa morborum chronicorum mulieris 26
— facti ſigna 42
— — a ſanguinis ſtillicidio per genitalia 43
— — in demortuis 44
— — a genitalium inſpectione 45
Abortus cognitio intra decentem a partu terminum fieri debet §. 40
— cognoſcitur ex foetus magnitudine 47
— cauſſae p. n. externae 48
— per remedia foetum expellentia promouetur 49
Abortum promouentium remediorum mixtiones ſunt conſiderandae 50
— promouentes cauſſae violentae externae 51
Abortus promotionem ſugillationes indicant 52

Acci-

INDEX RERVM.

Accidentalis lethalitas §. 623. 624. 625
Actionibus, vitae praeſentia cognoſcitur 3
Actiones diuiduntur 4
Aedificiorum diſtinctio 340
Aedificia publica vbinam conſtruenda? 341
Aedificiorum priuatorum diuiſio 342
Aedificiorum ſtructuram internam leges ſollicitant 346
Aedificia nouiter exſtructa, quo tempore inhabitanda? 347
Aër putredinis cauſſa 357
— laedit corpus noſtrum 357
Aëris qualitates diuerſae 358
— correctio 363
Aër exagitatione purificatur 364
Aëris purificatio per combuſtionem rerum ſuſcipitur 365
Aetatis diuiſio 111. 112
Aetatis definitio 7
Aetas hominis duplex conſtituitur 9
— quomodo determinari debeat? 13
— foetus non ſecundum dierum numerum determinanda §. 30
Aetas foetus quomodo decernenda? 31
— foetus quibus ſignis cognoſcenda? 32
Aetatis foetus ſigna deſumuntur vel a patre 33
vel a matre 35
Aetatis foetus ſigna a magnitudine 37
— tres dantur ſpecies 98. 99. 100
— periodi accelerari & retardari poſſunt 101
Aetas virilis 115
— tertia generalis 117
Aetate decrepita conſtituti inſipientibus adnumerantur 24
Aetas ad generationem legitima 215. 216. 217
Animus laedendi & interficiendi ex armorum genere cognoſcitur 515
— ex laedentis & laeſi conditione 516
Animatio foetus 2
Anima & corpus mutuam habent dependentiam 10
Animae ſedes 88. 89
— mutatio intra vterum 95

Animae

Animae mutatio extra vterum §. 96. 97
Aquarum diuiſio 348
— impuritas 349
— ſalubritas 350
Aquae vel natura, vel arte depurantur 351
— quaenam ſalubriores 352
Aquarum qualitates 353
— collectio intra vaſa plumbea reiicitur 354
— corruptio, ex lege Aquilia prohibita 355
In aquam num quis viuus vel mortuus proiectus? 504
Archiatris infectos inuiſere non permittitur 641
Artes immundae legibus prohibitae 344
Artuum vulnera 613. 614
Aſthmatici & hectici a tortura ſunt exemti 437
— a tortura laeduntur 449
Aſthmatis ſigna 450
Aſthma ſimulatum quomodo dignoſcendum? 451
Autochiriae cauſſa 496
Autochir delinquens animaduertitur 497
Autochir pro delicti varietate luit poenam §. 498
— criminis conſcius non in delicti incidit poenam 499
Autochiriae quinam ſuſpecti 500
— praeſumtio ex vulnere 501
— ſuſpicionem vulnera in ſubmerſis reperiunda non auferunt 506
Autochiria doloſa quomodo dignoſcatur? 512

C

Calculus renum & veſicae quomodo diſcernendus? 463
Calculi renum ſymptomata 464
Calculi veſicae ſigna 465
Capite deficiente, animam rationalem ſimul deficere, eſt veritas hypothetica 89
Carunculae myrtiformes virginitatem indicant 254
Carnis & mentis integritas 246. 247. 248
Cerebri vulnerum diuiſio 577

Chi.

Chirurgi & Medici medelam ſibi vindicant diuerſam §. 635
Chirurgi & Medici ſcientia 636
Colli arteriarum vulnera 587
Collegiis medicis ſanitatis cura relinquitur 633
Collegia medica operam deſiderant ſubſidiariam 634
Concuſſio cerebri 575
— cauitatum periculoſa 576
Conceptio quid ſit 184. 185
Conceptionis impedimenta 186. 198
Congreſſus, in ſterilem & foecundum diuiſio 253. 254. 255
— reiteratio conſideranda in virginitatis exploratione 267
— foecundus facile cognoſcitur 299. 300
Coniugii ſcopus 238
Conſtructio vrbis 339
Contagium per contactum communicatur 366
— diſſimulantes doloſe agunt 377
— corporibus non animatis adhaereſcit 378
Contagium vltra quadragenam intra corpus deliteſcit §. 379
— corporibus aequaliter adhaereſcit non omnibus 382
— diſſimulantes rei publicae nocent 483
— quae nam prudentia circa illud adhibenda 641
Contuſio quid ſit? 552
Cordis vulnera 590
— palpitatio 453
— — ſimulata 454
Corporis mutatio intra vterum 95
Corporis mutatio extra vterum 96. 97
Corpus laeſi, quando conſiderandum? 517
Cruentatio virginitatis ſignum 269
— per artem aemulatur 270
— ab hymenis ruptura 271
— ex vaſorum dilaceratione 272

D.

Decidentiae ſtatus quid ſit? 372
Defloratio ſimulata dignoſcitur 479
Delicta in culpoſa & doloſa diſpeſcuntur 397

Delin-

Delinquere non poteſt rationis vſu deſtitutus §. 398
Delinquendi conatum occultant doloſe agentes 399
Delirium delicto ſuperueniens poenam impedit 407
— chronicum in tranſiens & permanens diſtinguitur 403
— idiopathicum acutum poenam minuit 404
— acutum ſymptomaticum difficulter ſimulatur 405
Delirium chronicum, vel furibundum, vel non tale deprehenditur 409
Delirium furibundum in alio non effingitur 400
Delirii ſigna vnde deſumenda? 411
Delirantes confuſa referunt 412
Delirium in vagum & determinatum diſtinguitur 413
Delirii ficti ſigna 416
Delirium probatur ſuis ſignis 417
— chronicum per ſua tempora dignoſcitur 419
Delirium furibundum in melancholicum deſinit §. 420
— maniacum & melancholicum eadem ſigna habet 421
— interdum natiuum deprehenditur 422
Dies quadrageſimus morbum acutum determinat 375
Differentia hominis viui & mortui 5
— ſani & morboſi 6
— abortus & ſpurii 29
Diuiſio actionum 4
Diuortium operatur error virginitatis 236
— ex impotentia coniugali 232. 225
Doloſe laedens tenetur pro eo quod ex laeſione ſequitur 514

E.

Edictis inhibitoriis ſalus publica ſaepe turbatur 367
Error Hippocratis 22
Error virginitatis diuortium operatur 236
Error a vulnerato commiſſus 629
Eunuchus ad matrimonium admittitur 230
Examinibus, Chirurgi artem

artem ſuam exercendi licentiam obtinent §. 644
Excretiones ſanguinolentae ex modo reiectionis cognoſcuntur 456
Excernendi ſanguinem modi 457

F

Facultatibus medicis ſanitatis cura relinquitur 633
Faſcinum 235
Fauor in iudice, pro foetu militat 28
Febrium ſigna 470
Febrilis ardor ſimulari non poteſt 471
Fiſtulae lachrymalis ſigna 475
Flacciditas genitalium arte reparatur 268
Fluidae & ſolidae corporis partes valde diſcrepant 550
Frigiditas, impotentiae cauſſa 220. 221
Fractura & vulnus quomodo differant? 550
Foetus praeternaturalis quid ſit? 77
Foetus praeternaturalis diuiſio 78
Foetus non qui corpore validior prius naſcitur §. 67
— animatio 2
— & partus quomodo differant 14
— denominatio varia 18
— animatus & non animatus 19
— quid ſit vitalis? 20
— quid ſit non vitalis? 21
— imperfectus 23
— perfectus & maturus 24
— legitimus in ſenſu iuridico 26
— in ſenſu phyſico 26
— a ſemine foecundo natus, citius ad ſuam perfectionem peruenit 24
— quomodo ſuum incrementum capiat? 38
— immaturus imperfectionis notas habet 39
— quo tempore euadat perfectus? 40
— perfecti ſigna ab eiulatu 41
— excluſio quomodo contingat? 53
— intra vterum enecatur 54. 55
— extractio e matre viua 56. 57

Foetus

Foetus extractio in matre viua promouenda §. 58
— extractionem intermittens, infanticidii crimine notandus 59
— matre defuncta cito perit 60
— plures interdum ſimul excluduntur 61
— numerus variat 62
— in vtero enecati ſigna 529
— extra vterum enecati ſigna 530
In foetus corpore laeſionis ſigna reperiunda, matris malitiam non directe indicant 531
Foetus num viuus prodierit, ex viſcerum abdominis conſtitutione cognoſcendum 545
Fracturarum ſigna 472
— diuiſio 555
Fractura cum larga comminutione lethalis 615
Fractura cranii ſecundum quid lethalis 616
Fulminis effectus 507
— ictus ſigna 508
Funiculus vmbilicalis examinandus 546
Funiculi putredo 547
Furoris ſigna propria §. 415
— ficti ſigna 416

G.

Gemellorum generatio differt a ſuperfoetatione 63
Gemelli in matre demortua exciſi, per locum extraordinarium incedunt 70
Gemelli & ſuperfoetatio valde differunt 72
Generatione hominis noui, ſpecies mutari nequit 93
Genitalium partium magnitudo relatiua eſt 261
Generatio quid ſit? 227
Generandi aptitudo determinatur 270
Gentium origo 378
Grauiditatis ſigna 302. 303. 305. 311
— ſimulatio 428
Gulae praecluſae ſigna 503

H.

Haemorrhoides per veſicam contingunt 467
Hectici & aſthmatici a tortura ſunt exemti 447
Hecticae ſigna 450. 469
Hepatis vulnera 604

Hermaphroditus quid ſit? §. 207. 8. 9. 10
Hermaphrodito ſponſi electio competit 211. 213
Hermaphroditi baptismus 212
Herniarum ſigna 472
Hippocratis error 22
— argumentum pro virginitate 273. 274. 275. 276
— experimentum per aquam mulſam reiicitur 319
Hominis praeſumtio quid ſit? 323
— viui & mortui differentia; 5
Homo hominem quoad partem generat 91
Hominis ſtatus neuter datur 371
Homo ad ſui ipſius conſeruationem a natura compellitur 486
Homo lege poſitiua ad indiuidui ſui conſeruationem a natura compellitur 487
Homicidium quid ſit? 488
— in doloſum & culpoſum diſtinguitur 489
— in ſimplex & qualificatum diſtinguitur §. 490
— ſimplex quid ſit? 491
— qualificatum quid ſit? 492
— variis ex cauſſis qualificatur 493
Homicidii poena 494
Homicidii poenam ſolus animus determinat 495
Humanitas monſtri a facie deſumitur 87
Humores extrauaſati metaſchematismum adſumunt 578. 579
— extrauaſati & exſiccati nouam laeſionem producunt 579
Hydrops & tympanites facile cognoſcuntur 462
Hymenis exiſtentia dubia 256. 257. 258.
Hymenis praeſentia nihil probat 259
Homicidii vindicta modo animum, modo effectum reſpicit 513

I.

Imbecillitate mentis laborantes, ad actus forenſes non admittuntur 423
Imbecillitas mentis in aliis etiam fingitur 484

Imperforatio impotentiae cauſſa §. 179. 181
Impotentiae coniugalis diſtinctio 133. 134. 135. 176. 236. 237
Impotentia cohabitandi, concipiendi potentiam impedit 183. 184. 185. 222. 229. 235
Impotentia coniugalis ſimulatur 481. 491
Impraegnatio plurium ouulorum vno actu contingit 64
Inanimationis tempus 17
Indiuidui conſeruatio eſt obligatio naturalis 125
Infans perfectus quomodo enecetur? 528
Infantia quid ſit? 102
Infantes cum inſipientibus comparantur 103
Infantiae finis & terminus 104
Infanticidii ſuſpicionem incurrentes 553
— indagatio 534
— veſtigia in capite 535
— veſtigia in corde 536
Infectos inuiſere Archiatris & aulae Medicis non permittitur 641
Infibulatio matrimonium non impedit 229
Inſpectio ocularis Veteribus impudica 249
Inteſtinorum canalis quid ſit? 592
Inteſtinorum diuiſio 593
— vſus 594
— vulnera a Veteribus diuiſa 595
— quaenam periculoſa 596
Inteſtina absque vitae diſpendio abſcinduntur 597
Inteſtina quaenam queant abſcindi 598
Inteſtini Ilei abſciſſio 599
— recti abſciſſio 600
— duodeni & ieiuni abſciſſio 601
Iudicium Medici de morbo ſimulato & diſſimulato requiritur 441
Iuramento Medicus fidem publicam obtinet 637
Iura matrimonii e pacto conſurgunt 239
Iuris praeſumtio in ſtupro violento 323
— & de iure praeſumtio quid ſit? 323
Iuuentus quid ſit? 113
Iuuenes ad actus eccleſiaſticos & ciuiles admittendi 114

L.

Lactis cauſſa in grauidis 312

Laedens doloſe tenetur pro eo, quod ex laeſione ſequitur §. 514
Laeſus num a vulnere, vel alia cauſſa ſit internecatus? Medicus disquirit 518
Laeſionis ſubiectum & obiectum 520
— ſigna matris malitiam directe indicantia 532
Laqueo num quis ſit ſuſpenſus ſigna 502
Leges ſalutem publicam cuſtodiunt 330
Legislatores morborum fictione decipiuntur 440
Lethalitas abſoluta & ſecundum quid 558
Lethalitatis ratio duplex deprehenditur 562
Lethale per ſe & ex accidenti quid ſit? 623. 624. 625. 626
Lienis vulnera 605. 606
Linguae vulnera 586
Litterati priuilegio gaudent ſpeciali 345
Loci ſalubritas eſt vel abſoluta vel relatiua 332
— vel per ſe, vel per effectum pateſcit 333
— ſalubritatis ſigna 334
Locus ad cuſtodiam minus idoneus a vinculis liberat § 439
Loquelam formantes cauſſae 280
Loquela pro virium diuerſo gradu formatur 281
— ſecundum aetatum periodos mutatur 282. 283
Luxatio & ſubluxatio, ſolutae vnitatis ſpecies conſtituunt 556. 617
Luxatio ſpinae dorſalis abſolute lethalis 681
— maxillae inferioris lethalis 619
— artuum 620
— femoris lethalis 621

M.

Matrimonium quid ſit? 237
Matrimonii iura 239
Magnatum palatia vbi non locanda? 343
Medici & Chirurgi medelam ſibi vindicant diuerſam 635
Medici & Chirurgi ſcientia 636
Medicorum diſtinctio 639
Medici morbos celare debent 485
Medicorum fictio retegitur 480

Membro-

Membrorum conditio in tortura conſideranda §. 434
Mentis atque corporis mutatio quænam intra vterum contingat? 12
Mentis integritas cognoſcitur 246
Meſenterii vulnera 603
Mictus cruenti ſigna 466
Milites iura habent ſingularia 476
Monſtrum quid ſit? 80
— cum vniuerſae ſpeciei mutatione non datur 81
Monſtrorum cauſſa 82
Monſtra ſpeciem quarundam partium tantum mutant 83
— quaeſtiones: eccleſiaſticas & ciuiles mouent 85. 86
Monſtrum num pro homine habendum? 86
Monſtri humanitas a facie deſumitur 87
Monſtrum acephalum, in alio cauo cerebrum recondit 92
Morbum fingere & diſſimulare quid ſit? 387
Morbi chronici ſua habent tempora 418
Morborum diuiſio a duratione 368
Morbi acuti non vnum habent exitum §. 369
Morborum acutorum diuiſio 370
Morbi ſimulantur & diſſimulantur 385
Morbi ſinguli, Medicos quondam habebant ſingulos 640
Morboſi & ſani differentia 6
Morbi ſparſi vnde? 359
Morborum ſparſorum praecautio 360
— ſparſorum praecautionem Magiſtratus imperat 361
Morbi chronici non contagioſi ſunt 325
Morbus contagioſus diſſimulatur 378
Mors ex deſtructa partium cohaerentia proficiſcitur 567
Mortui & viui hominis differentia 5
Motus in abdomine perceptus grauiditatis ſignum 318. 320
Muſculus temporalis deglutitioni inſeruit 589
Muſculis maxillam mouentibus laeſis, ceſſat eorundem actio 584
Mutatio mentis atque cor-

corporis intra vterum §. 12

N.

Narrationes inordinatae facile poſſunt ſimulari 414
Naſi & oculorum vulnera 585

O.

Obſtetrices ad diſquirendam virginitatem adhibendae 251. 252
Obſtetricantium actus, tum viri, tum mulierculae exercent 655
Obſtetrices, matrem, vna cum foetu ſaluare tenentur 656
—ſecundum certam normam munere ſuo debent perfungi 658
Obſtetricibus internorum remediorum vſus interdicitur 660
Obſtetricis cura poſt partum 659
Oculorum & naſi vulnera 585
Ocrearum applicatio quibusnam conueniat? 436
Oeſophagi & tracheae abſciſſio abſolute lethalis 588
Officium Medici, delirii iuxta diſquiſitionem §. 408
Omenti vulnera 602
Oſtentum quid ſit? 80
Oſtentorum ſpecies 84
Ouulorum plurium impraegnatio vno generationis actu contingit 64

P.

Papillarum color vnde? 816. 317
Parotidis ſigna 475
Parturientium ſaluti etiam leges proſpiciunt 654
Partus naturalis plerumque mulierculis committitur 657
Partus & foetus quomodo differant? 14
Pariendi tempus accelerari & retardari poteſt 15
Partui nullum certum tempus tribuitur 16
Partus termino naturali contrariatur vel praecox vel ſerotinus 27
Partus, vtriusque, matris & foetus, opera contingit 66
Parietum aedificatio 329
Periodi vitae dantur diuerſae 11

Phar-

Pharmacopoei iuramento obligandi §. 648
— inſcitia ſumme nociva 647
Pharmacopoeis praxis interdicitur 649
Pharmacopoliorum viſitatio 653
Phyſicorum officium 643
Placentae vterinae putredo 547
Poena adflictiua non omnibus imponenda 437
Polypi narium ſigna 474
Portentum acephalum habet animam rationalem 90
Praxis medicae diſtinctio 638
Praeſumtio iuris in ſtupro violento 323
Praeſumtio hominis 323
Primogenitus quis ſit? 65. 66. 67. 68
Primogeniturae praeſumtio non ad gemellos exciſos quadrat 69
Primogenitus habendus qui primus in manus chirurgi incidit 71
Pubertatis initium 107. 108. 109. 110. 108
Publicam ſalutem Magiſtratus curat 632
Pueritiae initium 105
Pueritiae finis §. 106
Punctura 659
Pulmonum docimaſia 537
— dubia deprehenditur 538
Pulmones in aquam proiecti quare fundum petant? 539
Pulmones in aquam proiecti quare ſupernatent 540
Pulmones inflatione ſupernatant 542
Pulmones putredine ſupernatant 543
Pulmones ſubmergentes matris innocentiam probant. 544

Q.

Quadragenae fundamentum 575
— tempus non ſemper obſeruandum 330
Quadragenae venia perpetratur 331
Quaeſtio de lethalitate vulnerum circa adultos 548
Qualitas vulneris ex cadaueris inſpectione deſumenda 519

R.

Reminiſcentia amentes deſtituuntur 424
Reminiſcentiae defectus

ctus, ſtupiditatis crinomenon §. 424
Reipublicae formale 334
Remediorum collectio & venditio 650
— compoſitio ſolis pharmacopoeis competit 651
Renum & veſicae calculus 460
— calculi ſymptomata 464
— vulnera 607
Renum abſciſſio abſolute lethalis 608. 609
Reſpiratio foetus, viuum illum eſſe excluſum non probat 541
Reſpublica ad communem felicitatem conſpirat 383
Robur corporis, animae viribus citius deſtruitur 118
Ruſtici morbos ſimulandi caliditate deſtituuntur 477

S.

Salutem publicam Magiſtratus curat 632
Sanitatis cura Facultatibus & collegiis medicis relinquitur 683
Sani & morboſi differentia 6
Sanitatis ratio habenda in aedificandis vrbibus §. 331
Sanitas & morbus quid ſit? 386
Scalae quinam homines non imponendi? 435
Scirrhi ſigna 468
Seminis retenti & reiecti ſigna 301
Senectutis periodi 119
Senectus florida 120
Senes ωμογεροντες 122
Senectutis media pars 122
Sexus vterque iura habet paria 240
— quid ſit? 128
— diuiſio 129
— defectus 214
— parilitas 210
Signa ſalubritatis ab effectu 337
— e locorum ſitu 339
— e ſoli conſtitutione 335
Signa morborum pathognomonica & communia 395
Simulatio & diſſimulatio animum ſuſpicatur 388
Simulatio & inſcitia non habet locum 389
— factis & verbis alia eſt 390
Simulationis & diſſimulationis cauſſa 391

Si-

Simulatio & diſſimulatio in diuerſis ſubiectis §. 392
— in ſemet ipſo 393
— in alio 394
Simulatio & diſſimulatio ſuis nititur difficultatibus 396
Societatis connubialis ſcopus 131
Soluta vnitas dividitur 557. 563
Solutio continui ſuperficialis parua quid ſit? 564
— continui ſuperficiaria magna 566
— — ſuperficiaria parua non periculoſa 565
Solutio continui profunda 567
— ſecundum quid lethalis 568
— ratione numeri eſt diuiſa 520
Solutiones continui plures magnae 571
Solutiones continui plures paruae 572
Solutio continui intuitu partis laeſae diſcrepat 573. 574
Somnum capiens num vitiari queat? 324
Soporoſi adfectus 458
Soporoſi & apoplectici quomodo refocillandi §. 459
Soporoſos cauteria iuuant 460
Soporoſi adfectus ſimulatio 461
Species, noui hominis generatione non mutatur 93. 94. 95
Speciei conſeruatio eſt obligatio naturalis 225
Species copula carnali conſeruatur 226
Sponſi electio hermaphrodito competit 211
Spurii foetus & abortus differentia 29
Sterilitas 253
Sterilitatis ſigna 254. 255
Strumarum ſigna 469
Stuprum violentum quid ſit? 321. 327
Stuprum violentum in quas committatur? 322. 325. 326
Subluxatio & luxatio 556
Submerſorum mors ſaepe dubia deprehenditur 646
Summum corporis & mentis 116
Superfoetatio differt a gemellorum generatione 63

Superfoetatio an exiſtat? §. 73
Superfoetatio quo tempore contingat? 74
— quaenam vitalis 75
Superfoetatio quare non vitalis? 76
Surditas ſimulata 442
Surdi a tortura eximuntur 443
Surditatis ſigna 444
Surditas & aphonia quomodo dignoſcendae 445
Surditas non ſemper a tortura liberat 446

T.

Tempus inanimationis 17
Temperamenta aetatem variant 111
Tempus cohabitationis 266
Temporum vulnera ab Hippocrate lethalia declarantur 582
Temporalis muſculus deglutitioni inſeruit 583
Terroris effectus 448
Thoracis vulnera ſunt periculoſa 589
Tortura eximuntur imbecilles 428
a Tortura qui non ſimpliciter eximendi 427
Torturam declinant morbi periculoſi § 429
Torturam declinantes morbi recenſentur 430
Tortura morbis ad tempus diſtrahitur 431
Tortura peculiari corporis conſtitutione auertitur 432
a Tortura ſenes & pueri eximuntur 433
Tortutam ſymptomata auertunt 438
Tracheae abſciſſio abſolute lethalis 588
Tumor abdominis grauidarum differt a tumore ex menſium ataxia 309. 310. 311
Tumoris oedematoſi ſigna 473
Tympanites & hydrops facile cognoſcuntur 463

U.

Unitas quid ſit? 549
Unitatis ſpecies pro ſolidarum partium differentia diſcrepant 551
Unitas ſoluta diuiditur 557
Urbis conſtructio 339
Uteri vaginae amplitudo proſtibulis propria 260

Uteri

Uteri vaginae ſitus vitiatus impotentiae cauſſa §. 199
Uteri vulnera 611
Uteri vaſorum maiorum vulnera 512

V.

Vaginae vteri amplitudo proſtibulis propria 260
Vaginae amplitudo quibus cautelis conſiderari debeat? 262
Vaginae capacitas morbis vitiatur 265
Vaſa mammaria conſenſum habent cum vtero 314
Vaſa vterina cum partibus vicinis habent commercium 313. 315
Venena & remedia fortiora non cuiuis divendenda 652
Veneficii ſigna 509
Veneficii ſigna ambigua ſunt 510
Venter & pulmones ſubmerſorum aqua repleti, viuos aquae eſſe iniectos non probat 505
Veritatem eruendi media 426
Veſicae vrinariae vulnera 610
Vindictae culpam deuitandi cauſſa morbi ſimulantur & diſſimulantur §. 385
Virginitas in ſexu ſequiori tantum exploratur 241
Virginitatis diſtinctio 243. 244
Virginitas variis ex cauſſis exploratur 242
Virginitas in ſenſu morali & phyſico 245
— ſigna vnde deſumenda? 246. 247
— non dantur propria 253
— aetas tenerior detegit errorem 263
— ſigna pro temperamentorum varietate diſcrepant 264
— ſigna ex cruentatione 269
— ex caruncullis 284. 285. 286. 287. 288
Virginitas ex vrina 289. 290. 292. 293. 294
Viſcerum indagine optime cognoſcitur, quo morbo quis interemtus 511
Vita quid ſit? 1. 560
— ſolidarum & fluidarum partium cohaerentia conſeruatur 561

Vitae

Vitae periodi dantur diuerſae §. 1
Vitae diſtinctio 8
Viui & mortui hominis differentia 5
Vocis mutatio ex virginitate laeſa 277
Vulnerum lethalium inſpectio non ſolis chirurgis committitur §. 645
Vulnus & fractura quomodo differant? 553
Vulnerum diuiſio 554
Vulnera cerebro vicina periculoſa 581